Graminea
(de Vigiliis
Dominique)

f. Iacobi maistret. Epi Damasti, suffrag. lugduni

THESAVRVS ORTHODOXVS,

ET CONSENSVS ECCLESIAE CATHOLICAE IN CONTROVERSIA FIDEI DE SANCTISSIMO EVCHARISTIAE Sacramento, aduersus Caluinum & reliquos Sacramentarios, ac illos etiam qui Vbiquitatem in Christi corpore constituunt.

AVCTORE
DOMINICO GRAMINEA DE VIGILIIS
Artium & Sacræ Theologiæ Doctore.








COLONIAE AGRIPPINAE.
Apud Ioannem Gymnicum, sub Monocerote. M. D. LXXV.

f. I. maistret. Epus Damasti



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D.

Iacobo, Dei gratia pro meritis Sedis Treuerenſis Antiſtiti Dignißimo, Sacri Romani Imperij Electori, per Galliam Archicancellario, Principi fide, pietate, religione orthodoxa Celeberrimo, Domino ſuo Clementißimo: Dominicus Graminea de Vigilijs Italus ex Regno Neapolitano oriundus, Prouinciæ terræ Bari, artiũ & Sacræ Theologiæ Doctor, ſalutem, pacem & religionis Catholicæ Chriſtianæ incrementum ab omnium Seruatore Chriſto IESV humilimè precatur.



VLLVM eſt ingenium, nulla mens, nulla creatura, quæ verbis explicare poſſet atque enarrare, Reuerendißime Antiſtes, & Serenißime Princeps, quantis opibus ornatus, quãtis diuitijs plenus, quantis virtutibus ſtipatus fuerit Seruator noſter, qui dignatus eſt cum in forma Dei foret, hominũ miſerijs opem ferre. Ille inquam ipſe eſt, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, ex cuius ſtirpe ſecundum ſpiritum nati ſumus: Quemadmodum ipſe ſecundum carnem ex Dauidis ſemine originem duxit. Cuius opera quemadmodum in principio omnia creata fuêre, ita in

Philip. 2. Coloſ. 1. Rom. 1.

temporis plenitudine, quando omnes declinauerant, & inutiles facti erant, recreata sunt. Per
Gal.4. ipsum enim visum est æterno Patri reconciliare
Colos.1. omnia, & quæ in terris, & quę in cœlis sunt. Qui Dei filius, idemq; hominis, vna persona IESVS CHRISTVS, sine matre de Patre genitus, diuina natiuitate inuisibilis atq; mirabilis est. Genera-
Esa.53. tionem eius quis eloquetur? De qua difficile est iudicare mirabile religionis nostræ Sacramentum, quomodo nunquam factus, æternum habeat sine matre Patrem: Quemadmodũ difficile
Luc.1. est definire modũ, quo Spiritu sancto superueniente, & virgine concipiente, ex matre natus & factus, Patrem non habeat. Cuius ortus ex carne nutrienti attulit vbertatem, & patienti integritatem non abstulit. Quamlibet itaq; earum, siue vtranq; ipsius generationẽ quis enarrabit?
1.Tim.2. Hic est Dominus Deus noster, Dei & hominum Mediator, qui à Patre genitus, creauit & matrẽ, & de matre factus, glorificauit & Patrẽ. Quem
Rom.1. nescientes recta fide homines considerare, mirum nõ est, si euanuerunt in cogitationibꝰ suis, & obtenebratum est desipiens cor eorum. Hic enim est, de quo Prophetę clamant & Apostoli:
Isa.28. Omnis qui credit in eum, non pudefiet. Ad quẽ accedentes qui est lapis viuus, à sectarijs quidem
1.Pet.2. reprobatus, & præsertim in sanctissimo Eucharistiæ Sacramẽto, apud Deũ verò electus & preciosus. Cuius mirabile Eucharistię Sacramentũ, ex ipso Dei verbo primum, & Patrũ orthodoxorũ omnium pio consensu speculatus (prout

valet

valet in tantæ maiestatis abysso mortalis infirmitas) cum nonnulla de hac materia prælo tradere, & typis mādare decreuissem tractatione in duas partes distributa, quas thesaurum appellare libuit: Siue materiam spectemus, de Christi enim corpore loquimur, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi: Siue rem ipsam consideremus, de ipso enim sermonē habemus, cuius verba spiritus & vita sunt. In priori parte corporis & sanguinis veritatem & præsentiam realem defendimus, quemadmodum orthodoxus totius Ecclesiæ Catholicæ consensus affirmauit semper. Petro Martyri Vermilio Caluinoq; reclamantibus, & omnia ad tropos, ad Symbola, & figuratas locutiones trahētibus occurrimus. In posteriori autem vtriusq; naturæ, diuinæ scilicet, & humanæ, proprietates, affectiones, munera, & tandem Christi officium examinamus, & ita cuncti homines cognoscēt quantū à veritatis tramite Ioannes Brentius in libro de maiestate Christi, cum illa sua portentosa vbiquitate, carnis omnipręsentia, & omniscientia, cum maxima animarum clade atq; iactura aberrauerit. Tandemq; oēs cognoscere poterunt mōstra, Hydras, Gorgones, & Arpias à sectarijs passim ideò generari, quia à veritate Catholicæ Ecclesiæ recesserūt. Causam autem tantorum terrorum si quis quærat, Melanchthonem veluti antesignanū in aciem constituimus, inquit enim: Hæc mihi videtur esse iusta, & plana via cōcordię, vt nos omnes retineamus

Ephes. 2. Colos. 2. Ioan. 6. In responsione ad controuersiam Stancari.

 for-

formas loquendi approbatas graui authoritate in ecclesia, quia mutatio aut errores, aut dissidia parit: Quam rem si iste purus Grammaticus, & ineruditissimus Theologus aduertisset, tot monstra in Theologia non cudisset.

Suaserunt amici, quibus refragari nulla ratione debui, vt hanc tractationē C. T. inscriberē: idq́; vt facerē pluribus rationib⁹ persuaserunt. Primùm, quoniā nostris his temporibus cōsueuerunt ferè oēs peruetustā illam consuetudinē imitari, qui aliqua lucubrationib⁹ annotassent, eminētiori & clariori alicui Principi illa offerre atq; dicare. Cùm sibi Dominorū animos gratificandi & concilandi studio, tum vt Græcorū & Romanorū consuetudine seruata, mortalem Principem in Deos sic trāsferre liceret, atq; ita eorum scripta honestius in publicū exirent: Et cum nouitatis gratia authoritatē apud lectorē haberent. Sic Vergiliū Octauio, sic Lucanū Neroni, sic Plinium Vespasiano, sic Statiū Domiciano sua scripta sacrasse comperimus. Sed cùm diutius mecū cogitassem cui potissimū nouos hos meos fœtus ego Italus Natione, & in Germania externus inscriberem: Occurrerūt mox amici ad me cum magni Alexandri Macedonis respōso, à quo ferè moribundo cùm quęrerent amici, cui nam talē ac tantum relinqueret principatum, ei respondit, qui optimus esset. Ego aūt neminē habeo, quem C. T. præponam. Qui religione Numâ, Sanctitate Phocionē, Probitate Traianū, Consilio Solonem illū Athenien-sem, Prudentia Fabium Maximū, Liberalitate

Iulium Cæſarem, Humanitate, Clemẽtia, Morumq́; Venuſtate, & Bonarũ Cognitione literarum, Marcum Brutũ longè antecellis & ſuperas. Nam etſi oẽs dicant bonorum omnium C. T. aſylum eſſe, nõ negant tamen ꝓbatiores tanta eſſe in Deum pietate, & in miſeros humanitate propenſam, vt non minorẽ ex his, quàm ex optimis moribus laudẽ C. T. conſequatur. Quæ cũ tacitus ipſe cõſidero, tanta afficior animi iucunditate, vt beatum hoc noſtrũ ſeculum ducã, & longè beatiores Treuerenſes ipſos exiſtimẽ, qui C. T. Paſtorẽ & Principẽ ſortiti ſunt. Habes hoc innatũ vt ornare pro meritis ſcias, & alios regere, ꝙ difficile eſt, & pauci admodũ cognouerunt: C. T. aũt exploratum & cognitum. Demum aſſerebant, nulli conueniẽtius literarũ ſacrarum tractationes Catholicas poſſe offerri, quã C. T. cuius principatus Domiciliũ eorum eſſet, qui ſanam doctrinã Catholicam faterentur, ex quo hoſtes oẽs Seruatoris noſtri Chriſti, tam Iudæi, q̃ hæretici expulſi relegatiq́; eſſent. Valet enim C. T. in omnibus multũ, ſed in hoc plurimum contulit, cum vndiq; hæreticis præmamur, quemadmodũ Euangelica teſtatur hiſtoria, ex agro Dominico ſentes & tribulos diuellit, ſemen bonũ ſeminat, zizaniã & lolium Sarculo veritatis præcidit, exterminat auaritiã, pellit libidines, ſuffocat voluptates, odia fugat, ignauiæ & ſocordiæ ſtimulũ adigit, & aperiens diebus ſingulis os veritatẽ ſuadet, & viã Ibheuę in veritate docet. Quis enim non videt, ꝙ tua lectiſsima manus vndiq; fideliũ Catholicorum

Ecclesias lustrat? Nunc istã, nunc illã percurrit partem, vt veritatem quam detestati fuerant, hæreticorũ fascinati inuolucris, iterum amplectantur. Arcet insidias, impetus hostiũ frangit, Seruatoris veritate munita, vt securitatẽ Euangelio, & otiũ Ecclesiæ Catholicæ aliquãdo parere valeat. Quod Deus Opt. Max. faxit. Deinde ꝙ hanc ędendi libros catholicos Prouinciã, quibus cõmunibus nominis Christiani aduersarijs posset occurri, in tuo principatu tractatoribus Catholicis sanctissimæ Societatis IESV Theologis eximijs, C. T. mãdasset. Hoc præsertim tẽpore quo in id scilicet genus mortaliũ relapsi sumus, quos sua iã ætate grassantes subnotauit Petrus Apostolus, nimirũ qui suo cerebro doctrinã sanctæ Scripturæ perperã interpretantes, eò fidẽ euexerunt, vel demiserunt potius, vt charitatis officia, si nõ prorsus abiecerunt, certè non existiment ꝓ dignitate. Postremò, quod præter cæteras disciplinas atq; doctrinas, sacrarum literarũ præcipua capita, de qbus inter nos & sectarios hodie controuertitur, (etsi oia iam diu definita sint) studiosus præ cæteris qui aura huius seculi potiuntur, vnus atq; præcipuus esses, maiorumq; doctrinam sectatus, ne vnguem quidem transuersum interpretari in tuo principatu, quã ab initio nascentis Ecclesiæ interpretata fuerunt passus sis. Hoc præsertim tẽpore, et hac infœlicissima ætate, quando sectarij omnes reclamant, verè ipsos prætendere verbum Dei, cuius immanissimi & sceleratissimi sunt corru-

2.Pet.1.

pto-

ptores. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, charitas fraterna violatur, adulteratur, veritas, vnitas scinditur, ad hęreses atq; scismata prosilitur, timor Dei spernitur, magisterium Christi negligitur, & iudicij dies non præuidetur. Inflat superbia, exacerbat sæuitia, perfidia præuaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira feruescit, aliorum mors ad nostram proficiat salutem, aliorum ruina nostrum reparet & exaltet lapsum. Hinniant illi, allatrent, C.T. cœptum pergat iter intrepida, & de illorum nequitia atq; miseria quantum ipsa debeat Deo perpendat, qui sedentes in vmbra mortis illuminauit, & æternę lucis filijs associauit. Sonet vox illa Domini in auribus tuis semper: sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autem me sequere. Mortui enim sunt, quia Deo non viuunt, in quibus nec religio innocua, nec in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina, & in hoc temporario mortis spatio, laboriosissimè sibi æternam mortem acquirunt. Libri autem qui nunc vtrinque prouolant, eiusmodi fermè sunt, vt citius nouum excitent incendium, quam vetus extinguāt. Ab authoribus si petamus, quò tendant, quo sua studia, opera, curas referant, quē denique finem sibi præstituerint, in cuius adeptione fœlices sint futuri, aut omnino non habebunt quod respōdeant, aut pugnantia secum controuersaque sibi ipsis verba, velut phanaticorum deliramenta loquentur. Nec adhuc in-

Luc. 18.

Colos. 1.

telligunt, Deum non esse dissentionis authorẽ, sed pacis: qui per filium suũ pacificauit ea quæ in terris & ea quę in cœlis sunt. Contra isti noui Gigantes dissidijs orbem cõcutiunt, regna diuidunt, pacem violant, parentem suum referunt, qui primus seuit discordiam inter Deum & hominem, & Euangelicam segetem vitiauit clam insparsis zizanijs. Neque enim sciunt ipsimet quid agant, sed more eorum qui fluminibus innatant, malæ importatæ consuetudinis vi, quasi torrentis impetu feruntur, & hinc cæcante eos nequitia, vnde ad malum Sathana exstimulante ruunt præcipites in omne facinus cæci, Duces cæcorum, donec improuisa eos occupet mors, & dicatur eis: Amice hac nocte repetent animam tuam à te, hæc autem quæ parasti cuius erunt. Tunc his inuident, quos despexerunt, laudant quos deriserunt, & imitari eos vellent, cum non possunt, quos cũ poterant sequi, persequi maluerunt. Quæ omnia nisi homines exoculati sint, legẽdo Petri Martyris & Caluini contradictiones, & Ioannis Brentij portenta in libro de maiestate Christi, de vbiquitate, omnipræsentia, & scientia, pro ipsorum prudentia poterunt iudicare. His causis adductus sum, vt tibi Antistiti Reuerendissimo, & Principi Serenissimo, ego infimæ cõditionis homo vigilias meas offerre auderẽ. Quę si non habent vnde placeãt ex venustate, ita ex veritatis candore quem prę se ferũt, displicere non poterunt. Sperans fore vt quanto in altiori

Luc. 16.

Sap. 5.

digni-

dignitatis gradu. C. T. Dei benignitas collo-
caſſet, tanto clemētius tenues admitteres amo-
re Chriſti : Et eos præſertim qui in Seruatoris
vinea laborant, nec tempus & oleũ fruſtra con-
ſumunt. Neq; enim temerè Seruator omnium
Chriſtus, cùm armatæ Iudæorum cohortes ad-
uerſus ipſum peſsima quæque machinarentur,
acriter diſcipulos dormientes à ſomno excita-
uit. Hoc enim facto certè nos docere voluit, æ-
quum nō eſſe, vt ſectarijs impijs in Eccleſię ſuę
perniciem vigilantibus, in vtrãuis aurem dor-
miant illi, qui Chriſtiani dici, & haberi velint.
Iá etſi modis omnibus deteſtanda ſit hęc tanta,
tamq́; immanis dementia, tamen illud multò
magis dolēdum eſt, atq; ingemiſcēdum, quod
malis iam graſſantibus, multi aut diſsimulare,
aut certè nō ſentire videantur. In quibus ſi fuiſ-
ſet fides, quemadmodum ſumma eſſe debebat,
non laboraremus. Quod ſi placet, etſi hos meos
labores accipere non recuſat C. T. exponam
iam, quę ſit mei inſtituti ratio. Ego operam do,
vt verba, vt ſententiæ, vt loca demum ipſa hæ-
reticorũ omnibus videantur aperta: quibus v-
trunq́; teſtamentũ, vetus & nouũ obijcio, & om
nium Patrũ pijſsimũ orthodoxumq́; cōſenſum
oppono. Oppoſita em̃ iuxta ſe poſita magis elu
ceſcũt. Ita enim ex collatiōe doctrinę ſectario-
rum, & Catholicę, cognoſcēt oēs, hos aduerſari
os veritatis acerrimos, nihil aliud pr̃etendere, q̃
errorum antiquorum renouationem, vt verita-
tis vnitaté in Eccleſia Catholica ſcindãt. A qua
quiſ-

quisquis fuerit separatus, (inquit Augustinus) quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc scelere, quòd à Christi vnitate seiunctus est, non habet vitam, sed ira Dei manet super eum: nec habebit Deum Patrem, qui ecclesiam noluit habere Matrem. Neque verò me præterit, nihil à me dici, quod non antea dictum sit, sed vera & recta quæ sunt, ea & à multis dici, & tam diu, quousque ijs pareatur, aduersarijque vincantur, non inutile erit. Accipe igitur Reuerendissime Antistes, & Serenissime Princeps, nostros hos Thesauros de vera reali sacramẽtali præsentia corporis & sanguinis Christi in sanctissima ipsa Synaxi, aduersus omnes Sacramentarios, & Vbiquitarios, comiter & humanè, quos vt C.T. offerrem, non solum quasi voti me quædam adduxit religio, sed ipsa etiam miseræ & depopulatissimæ Ecclesiæ coegit necessitas. Defenduntur hodienunc maximis sępe viribus, homicidæ, fœdifragi, Regum & Principũ rebelles, scortatores, adulteri, periuri, seditiosi, & pacis publicę hostes aperti: nec vllum ferè crimen est quod suos non habeat aduocatos, protectores, & defensores. Vna Catholica Ecclesia sola relicta est, cuius calamitate, (ita vt par erat) afficiuntur pauci, qui matris senescentis ruina moueantur. C. enim. T. veritatis defensio grauissimè à Deo mandata est, adeò vt sanguinem omnium vestrarum; Altissimis vestris ex manibus sit exacturus. Obde itaque Reuerendissime Antistes, & Inuictissime Princeps auri-

Epist. 152.

auribus ceras, & quicquid dixerint, quicquid senserint hæretici de te, pro nihilo habens, solum iudicium Dei specta, qui reddet vnicuique secundum opera sua, in reuelatione sua de cœlo cum Angelis virtutis suæ in flamma ignis, faciens vindictam in eos qui non nouerunt Deum, nec paruerunt Euangelio eius. Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Scriptum est enim: Nolite timere qui corpus possunt occidere, sed qui animam potest mittere in gehennam. Quanto minus hęretici timendi sunt, qui nec corpori tuo possunt nocere, nec animæ, qui si nunc C. T. detrahunt ex ratione viuenti, nihil detraherent minus, si relicta virtute vitijs obrueretur, non quia illis vitium displicet, cùm Deum peccati authorem, & impulsorem fateri non vereantur, sed quia detrahēdi vitium illis semper placuit & placet. Qua impietate motus cùm viderem sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod omnium sanctificationum & Sacramentorum est cōsummatio, ita malè tractari à sectarijs lucē à tenebris secernere non valentibus, quantum possum ex ipso Dei verbo & piorum omnium Patrum orthodoxorū cōsensu elidere, & à mentibus credētium hanc pestē relegare his Thesauris conatus sum. Fui (Deum testor) dubio diu consilio, an in Germania, vbi tandem sum, in re literaria quicquam aggrederer, an silentio potius

Ioan. 5.

Matt. 25.

Matt. 7.

potius prætereunda essent nostrorum sectariorum inquinamenta. Vt tacerem duo præcipuè me mouebant: Primum quòd ego & cõtentionis & iurgiorum abhorrens, animi pacem, & quam mihi mea præstiterunt studia, placatissimæ vitę tranquillitatem amaui semper, nec odi vllum magis scribendi munus, quam quod in disceptatione & amarulenta quodam modo altercatione sit constitutum: quippe qui non minus referre, quam inferre iniuriam, vel contumeliam, nec boni duxerim esse vnquam officium, nec Theologi. Alterum, quia externus ego, & Natione Italus, & in his partibus (quamuis per annum versatus sim) ferè incognitus sim: ignorabam inquam, cui meorum Thesaurorum rationem committere possem, sub cuius auspicijs à Zoilorum impietate, & à locustarum morsibus si non intacti, ad minus in totum consumpti deuoratique non essent. Quare si qui sunt, qui me tacere vellent, sciant isti, non mecum, cum DEI verbo esse controuersiam, quod me tacere non sinit, sed impellit & cogit:
Isa. 38. Clama, inquit, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eius. Occurrit tandem qui meorum laborum protector esset, atque patronus, qui omnium bonorum & piorum protector & defensor est Reuerendissimus Treuerẽsis, Illustrissimus Princeps Iacobus, cui & me & mea omnia iam pridem debere intelligo: sola nominis tui benignitate & humanitate impulsus, quam quemadmo-

admodum mihi deliniauit deditiſsimus C.T. optimè meritus de religione Catholica vtriuſq; iuris eximius Licentiatus Dominus Geruinus Calenius Lippienſis, & his notis depinxit, ita & ego vt potui complexus ſum. Laudauit C.T. clementiam & benignitatẽ, qua cunctis parcis, nemini noces, omnibus prodes & quomodo qui vnus omnibus pręſis, ęquè adiri te à cunctis ſinis, ac ſi illorum ſis vnus omnino & priuatus. Adiũxit animi tui temperantiã & conſtantiã, & in Domini grege vigilantiã, ita vt Eccleſiaſticorum rituũ obſeruãtior, & peritior. C.T. nemo exiſtat: Adeò vt trãuerſum quidẽ vt dicitur vnguem, ſacerdotes in tuo cõſpectu à ſtatutis ipſis pſcriptis ſibi, & regulis diſcedere nõ audeant. Quis malarũ beſtiarũ q̃ vineam Ioheuę demoliuntur hęreticorũ videlicet inſectator & C.T. cõſector acerbior? Quis clericorũ & ſacerdotũ greges in partes ferè ab hęreticis obſeſſas, atque deuoratas ingentiorib. ſumptibus traijciendos curauit, ad verã illic pietatẽ, Chriſtiq; Catholicam religionem diſsimulandam magis q̃ C.T. proſpexit? Quæ tẽpla, q̃ Xenodochia, non tuis pecunijs cõſtructa? Qui ſacri virorum & mulierum cœtus, nõ tuis opibus ſuſtentati ſunt? Quis clericorum, virginum, orphanorum, viduarũ, pauperumque nobilium nõn T.C. liberalitate ſubleuatus? Quem nudum & clinicum non T. ipſius C. veſtimenta texerunt? In quorum ſe indigentiam non effudit prompta & feſtina largitio? Anguſta C.T. miſericordiæ

totã

tota est Germania superior, vnde & ad inferiorem quoque exire atq; erumpere compulsa est. Vnde et quam plurimos qui in studijs bonarum literarum operam sedulam exhibent in Alma Vrbe in Collegio Theutonicorum Florentissimo à beatissimo Patre nostro Gregorio XIII. Pontifice Maximo nuper constructo, prouehi curauit, immò & Treueri Florentissima Schola sanctissimæ Societatis IESV à C.T. munificentia est constructa. Tempus omnino me deficeret si omnes in genere hoc virtutes C.T. euoluere & recensere voluero. Quæ summæ & illustres per se, ea re præcipuè illustrantur, quòd C.T. seipsum prius totum Deo viuam & placentem obtulit hostiam. Quid enim prodest sanctorum vsibus ministrare? Monachorum, & sacrarum Virginum fauere collegijs, ecclesijs offerre quamplurima, sibi autem semet reseruare: & quod Deus à nobis in primis quærit, cur scilicet, id vnum dare nolle, sibi id habere. Hoc est (vt D. Ambrosius inquit) verè sacrificium princeps, quando vnusquisq; se offert hostiam, & à se incipit, vt posteà munus suum posit offerre. Hic verus est enimuerò principatus, hoc solium supremum, hoc aurum, hoc purpura nobilis. Hæc sunt boni Antistitis Diademata quæ plus gemmis ab India petitis insigniunt, & exornant. Laudent igitur alij, quæ Reuerendissimis Antistibus & Principibus Illustrissimis aliqua ex parte cum viris Clarissimis & Serenissimis possunt esse communia. Hæc ego quæ C.T. sunt

ſunt propria, vt alterius eſſe non videantur, laudabo ſemper. Et Aeſchinis conſuetudinem ſectatus, qui cæteris condiſcipulis amplißima præceptori munera offerentibus, cùm tenuißimæ eſſet fortunæ ſeipſum obtulit. Totum enim ſe dat & præbet qui ſeipſum impédit. Me igitur C. T. do, trado, & offero: Habes itaque ingenium qualecumque ſit meum, quo precioſius habeo nihil. Ex quo hæc pauca fragmenta collegi, & tanquam lapillum in aceruo præconiorum C. T. repoſui. Exiguum ſanè munus, ſed fidei meæ, & obſeruantiæ profectò in omne tempus erga C. T. non leue teſtimonium. Accipe itaque officiosè pro communi beneficio eorum qui ſine labe veritatem Catholicam tuẽtur, hos Theſauros de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Quid ſi fortè eueniat, vt à magnis quibus ſemper es occupatißimus, tractandis rebus attingas, & ſi vacat, (debet autem vacare) & ſi placet (debet autem placere) memineris, nòn tam hoc ipſum & properatũ ſcilicet opus, potius quam elaboratum, et operis argumentum, ex alièno mihi, non meo ſumẽdum fuiſſe iudicio: Quod non idcirco illud nuncupatum. C. T. eſſe volui, vt quæ in me non eſt, in me agnoſcas, ingenij aut doctrinæ præſtantiam, ſed vt ſciat, (nam dicam iterum) me quicquid ſum, T. C. eſſe deditißimum. Et dum vitæ huius aura fruar, ſpondeo, promitto, polliceor, ſemper

 mea

mea lingua personabit, tibi mei omnes tenues labores dedicabuntur, Cque. T. meum semper laudabit ingenium, quam meo animo inhærentem, penitusque defixam, legent Reges, Sacerdotes, Monachi, Virgines, Viduæ Orphani, simul in vnum diues & pauper. Vt qui cum Christo victurus perpetuo est in cœlis, in terris quoque dum licet in ore mortalium diutius viuat.

Qui vbi compleris pro voto Nestoris annos
Sic letabundum mea tunc ad sydera ducent.

Interim lege sacras literas animo pio & religioso, & te ad regendas oues C. T. commissas sic præpara, tanquam mortalis, & rationem immortali Deo redditurus: qui reddet vnicuique secundum opera sua, cum venerit in maiestate sua cum angelis suis. Et Deus Optimus Maximus. C. T. diutius Ecclesiæ suæ Catholicæ sanam & incolumem tueatur, & ad totius Orbis Christiani perpetuam salutem diutissimè conseruet in vtroque homine. Cui infimus ego & me, & mea studia quam humilimè cupio esse commendata. Quæ si intellexero grata (vt spero) in Nundinis sequentibus plus solito accingar in studijs, vt Tomi duo in folio, in quibus Laberynthum hæreticorum complector sub auspicijs C. T. imprimantur. In quibus meis laboribus in Theatro hæresum, & hæreticorum Laberyntho videbunt

Matt. 25.

debunt omnes quàm malum ſit ſectarios ab Eccleſia defeciſſe, de qua appoſitè dicere poſſumus.

Concors, inter diſcordes, ſigniúq; refulgens,
Sponſa Dei, nil habens quod ratio clara repellit.

Opto C. T. interim Auguſti fœlicitatem, Cæſaris fortunam, Titi delitias, Alexandri Magni Macedonis victorias, pro Catholica Eccleſia aduerſus ſectarios, Traiani bonitatem, Moiſis clementiam, Dauidis manſuetudinem, Salomonis ſapientiam. Vale diu perpetuo Fœlix.

AD LECTOREM.



VOD de Crœsi Lydiorum Regis filio historiæ tradunt, idem hoc tempore orthodoxorũ omnium interesse nemo est qui ambigat. Qui quamuis naturæ vitio mutus esset, tamen cum forte patrẽ in mortis discrimen adductum videret, quippe quem miles ignorans illum Regem esse, stricto gladio erat percussurus. Necis Paternæ periculo commotus, ad id vsq; temporis inexplicabile linguæ vinculum soluit: Crœsus est, Crœsus est, clamans: Qua voce & militem repreßit, & à parentis iugulo mucronem auertit. Hoc idem mihi omnium penè infantißimo his temporibus accidit, circa inenarrabile Eucharistiæ Sacramentum, de quo Angelicus Doctor meus inquit:

Sub diuersis speciebus signis tantũ & non rebus latẽt res eximiæ. Quod nõ capis, quod non vides, animosa firmat fides præter rerum ordinem. Quod sanctißimũ Sacramentum tantis hæresum perturbationibus tam fœdè tractatum animaduertens, ita incredibili dolore percitus, præter ingenium, atq; institutum meæ linguæ nexus expedire, & quanta possum maxima voce contendere aduersus ineffabilis Sacramenti profanatores nefandißimos cogor.

Quis enim non doleat? Quis non moueatur, cùm sit persuasum Christianã religionem funditus euertendam, si religionis nostræ fundamenta & bases quæ Sacramẽta sunt, labefactarẽtur? Quis magnitudine doloris in tanto nostræ salutis periculo Stertoris voce nõ exclamet? Nulli enim apud se rem istam serio tractanti, in

men-

mentem venire potest, Ecclesiæ Catholicæ aduersarios, diuersa credẽtes, adorãtes, scribẽtes, et nunquã conuenientes, et in hac materia pſertim in qua sectariorum parens Lutherus XCIX. cõtradictiones habet, in quibus sibijpsi contradicit, quas in Laberyntho nostro aduertimus, tales inquã homines aliquo veritatis zelo esse armatos, aut à Deo missos. Nunquã enim nisi in Pseudoapostolis hucusq; simile visum est in Catholica Ecclesia. Aliud enim est Euangeliũ quod Lutherus Saxoniæ, aliud quod Brẽtius Tubingæ, aliud quod Butzerus Argentorati, aliud quod Zuinglius Tigurij, aliud quod Osiander Norimbergæ, aliud quod Caluinus Geneuæ, aliud quod Illyricus Geneæ pdicauit & docuit. O infelicissimum et infaustũ V. Euangelium, quod ferro, foco, et armis instauratur & seritur? Cuius Euangelij si quispiam notas desiderat, nil aliud sunt, nisi Missio seditiosa et illegitima, Bellum sanguinariũ, Pellex et garrulũ scortũ. Signa aũt eorũ Synagogæ, iurgia, ac rixæ implacabiles: ita vt aliud sit Euangeliũ secundum Lutherum, aliud secundum Zuingliũ & Caluinũ, cui hoc Spiritus sanctus reseruauit (si Bezæ adhibẽda est fides) in hac re. Ecclesia cor vnum, & anima vna: Quia vna est colũba mea, pfecta mea, vna est matris suæ, electa genetrici suæ. Sectarij verò tot cõfessiones diuersas constituũt, vt Sybillæ folijs effectæ sint similes. Alij Augustanã, alij Saxonicã, alij Vuittẽbergensem, Bezanã, Tigurinam, Heidelbergensem ediderunt. Quasi Ecclesia & Catholica religio non sit vnũ corpus, vnus spiritus, vna spes vocationis nostræ, vnus Dominus, vna fides, vnũ Baptisma, vnus Deus? Hoc vnitatis Sacramentum, hoc vinculũ concordiæ inseparabiliter cohærẽtis ostẽditur: (vt Cyprianus Martyr inquit)

Exclamatio aduersus sectariorũ Euangeliũ.

In Præfatione suæ.

Cant. 6o.

Ephes. 6.

In Ser. de vnitate Ecclesiæ.

inquit) quādo in Euāgelio tunica Domini IESV *Christi non diuiditur omnino nec scinditur, sed sortientibus de*
Ioan.19. *veste Christi, quis ipsam potius indueret, integra vestis accipitur, & incorrupta atq; indiuidua tunica possidetur. Ostendant nunc sectarij hanc vnitatē & germani-*
Lib.3. ca. 2.& 3. *tatem & credemus illis. Ita Irreneus Marcionē & Va-*
In libr.de præscriptione hę reticorū. *lentinum, cum Tertulliano ꝑterrefacit. His armis Origenes confodit Celsum, Cyprianus verò Nouatū: hac machæra iugulātur ab Augustino Manichæi & Donatistæ. Omnes demū nouatores hoc tormēto depulsi sunt. Hac machina Episcopatuū inuasores Arriani deiecti sunt, & oēs sectarij veniunt depellēdi. Certè si nos quibus tuendæ declarandæq; veritatis et vnitatis Ecclesiasticæ Catholicæ munus designatum est, in tanto periculo tacuerimus, lapides ipsi clamabūt. Cùm me igitur incredibilis torqueat dolor, cùm Christianæ Reip. cōmiseratio subeat animū meum, cū me zelus domus Dei exedat, & religionis amor inflāmet, præsertim cùm vociferentur aduersarij dicendo, institutionis cœnæ Dominicæ verba esse, accipite & māducate, & nō offerte: vnde nos damnant tanquā Domini contēptores. Quibus respondeo: esse similiter alia verba in institutione cœnæ Dominicæ, quibus potestas offerendi significatur, vt sunt ista.*
Matt. 26. HOC EST CORPVS MEVM. *Ideò ad cōpescendam istorum rabiē & immanitatē, has qualescūq; voces fundo.*
Luc.22. *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meā cammemorationē, Christū nō instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi, alijq; Sacerdotes offerrēt corpus & sanguinē suū, Anathema sit. Quas quidem voces & si infantis ac balbutiētis esse cognoscā in tāto religionis nostræ mysterio, ad cuius nutū omnis creatura terrestris*

& cœ-


et cœlestis trepidat. Tamẽ diuinæ spei & veritatis gratia fretus ad Dei laudẽ et veritatis manifestationẽ hos meos Thesauros cum Moabite illa Ruth ex metentiũ spicis collectos in ipsa verbi Dei fertilißima segite, & abundantißimo omniũ orthodoxorũ Patrũ pio cõsensu in mediũ profero. In quib. si nequeo ascẽdere in montẽ cum Loth, ad minus seruabor in Seghor. Nec refert, si sicut Anser inter olores obstrepã. Fortaßè nõ inutilis quandoquidẽ et Capitolium Rom. anserum excubijs seruabatur. Vtinam nos oẽs in Christianæ Ecclesiæ Catholicæ cœtu cõstituti, iam olim obstrepuißemus, hoc certè tempore à Sacramentarijs, & Vbiquitarijs non infestaremur, quibus in his Thesauris occurro.

Et vt omnes possent facilius & cõmodius rem ipsam intelligere: duplicem indicem operi adiunximus. Ipsorum autem ratio ea est, primus index Theses ipsas quas in Thesauris examinauimus, continet: Et hic in principio operis positus est. Posterior verò, qui insignes materias complectitur, in posteriori parte positus est.

Apposuimus singularem diligentiam vt sine næuis & erratis prodirent in lucem, non tamen hoc præstare potuimus. Errorum autem duo sunt genera, quædam ex Typis procedunt, quædam ex scriptis, quibus aliqua addenda putaui: omnia in fine libri signata & apposita erunt, quæ errata rem ipsam concernunt.

Et quoniam humanũ est peccare, Angelicum emẽdadare, & diabolicum est perseuerare, potui errare in his Thesauris & in alijs meis scriptis, hæreticus tamen nulla ratione esse volo, ideò me, & mea omnia submitto cẽsuræ Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ, extra quam cum diuinißimo Psalte exclamamus: OMNIS HOMO MENDAX. VALE.

INDEX CONTINENS PROPOSITIONES, QVAE IN PRAESENTI OPERE CONTINENTVR.



1 PRopositio prima, has Theses continet. Prima est, hanc notam sacramentum ancipitem esse, ideò necesse fuit à diuisione ipsius notæ principium constituere. Si enim secus factum fuisset in erroris notam auditor incidere potuisset.

2 Alia enim sunt antiquæ legis, alia nouæ legis Sacramenta. Illa enim instituta fuere significandi gratia, hæc autem dant salutem.

3 Quamuis Ecclesia Dei nunquam Sacramẽtorum dono fuerit destituta, ea tamen ratione Seruator in noua lege Sacramenta composuit, vt homines Adami peccato irretitos liberaret atq; absolueret.

4 Ipsa autem Sacramenta nil aliud sunt, nisi medicamenta perfecta.

5 Quæ ideò instituta sunt vt humana præsumptio humiliaretur, & vt homo cognosceret sub symbolo rerum corporalium diuinam virtutem absconditam esse.

1 Propositio 2. has Theses complectitur. Optimè Sacramentum à Patribus definitum fuit esse signum rei sacræ.

2 Quod signum præteritorum, præsentium, & futurorum est, hinc nouæ legis sacramenta tria significant.

3 Et quia ex sensibilibus ad intelligibilia scandere oportet, ideò sub signis sensibilibus sacramenta consideranda proponuntur nobis.

4 Signa sacramentorum ipsa elemẽta sunt, ad quæ cum verbum accesserit, & non ante sunt sacramenta.

5 Sacramentorum autem necessitas alia atq; alia est assignanda, in statu naturæ institutæ ratio, & lapsæ in Protoplausto, & in statu naturæ reparatæ per Christum.

1 Propositio tertia has Theses amplectitur. Postquam dictum est de institutione Sacramentorum in genere, secta

ſectatiq; ſumus dogma illud præclariſsimum, quo præcipitur, à communioribus eſſe initiandum.

2 Deſcendentes igitur ad illud quod noſtro inſtituto fauet, dicimus, Euchariſtiæ Sacramentum ante legem, & in lege fuiſſe à Prophetis vaticinatum.

3 Nulla tamen oblatio intimius Chriſti corpus præfigurauit, quantum ad fidelium vſum attinet, quàm ipſa Melchiſedechi oblatio.

1 Propoſitio quarta has Theſes continet. Prima ea eſt: Neceſſaria fuit Sacramenti Euchariſtię inſtitutio, ne Seruatoris memoria traderetur obliuioni.

2 Fuit etiam oportuna, vt ſemper fidelibus ſacrificium eſſet præſens, & iugiter in myſterium offerreretur, quod ſemel in pretium oblatum eſt.

3 Expediens fuit tanti ſacramenti inſtitutio, vt Leuiticum illud aboleretur, & ita vt ſacerdotio translato fieret & legis translatio.

1 Propoſitio quinta has Theſes comprehendit. Prima ea eſt, cùm hoc ſacramẽtum omnium ſanctificationum ſit conſummatio, merito hoc ſacramentum ſupremam diuini amoris largitatem præ ſe fert & liberalitatem.

2 Eſt autem largitio ea ſuprema & quàntum ad donum ipſum attinet, & quantum ad donantis liberalitatem ſpectat, & quantum ad perſonam cui donatur pertinet.

1 Propoſitio ſexta has Theſes ſub ſe complectitur. Prima eſt. Hoc ſacramentum commune habet cum cæteris, vt rebus & verbis conſtet.

2 Duæ materiæ & duæ formæ quæ in hoc ſacramento ſunt, ſacramenti vnitatem non dirimunt nec tollunt.

3 Nominum multiplicitas quæ huic ſacramento genuina eſt ſacramenti vnitatem non tollit.

1 Propoſitio ſeptima has Theſes comprehendit. Et prima ea eſt. Euchariſtia continet rem aliquam ſacram abſolutè, quod nulli ſacramento conuenit.

2 Omnia ſacramenta perficiuntur dū applicantur homini ſanctificando: Verum Euchariſtia perficitur in ipſa materiæ conſecratione.

PROPOSITIONES EX ALIIS *duobus Thesauris.*

Ipsa

2 Ipsa aūt vnio & in natura, et in pſona diuina facta eſt.
3 Ideo in Domino IESV Chriſto duas naturas cognoſcimus: vnicam autem hypoſtaſim.
4 Hanc verò hypoſtaſim ſecundum ſe ſimplicem dicimus, quemadmodum etiam fatemur & verbi naturam: Tamē Chriſti perſonam ex duabus naturis integris, & tribusq; ſubſtantijs conſtare prædicamus, ſi dixerimus eſſe cōpoſitam, veritati conſulimus.
1 Propoſitio 2. has theſes amplectitur. Cum Chriſtus ſit perfectus Deus, & perfectus homo hallucinantur in fide qui aſſerunt vnionem factam fuiſſe per accidens.
2 Hominum impiorum mens adhuc in errore verſatur, dum Euthiceti aſſentiendo naturas confundunt.
3 Errant quàm plurimi cum Euthicete hoc tempore, cum naturæ humanæ illa attribuant quæ diuinæ naturæ tantum ſunt propria.
4 Quamuis verbi vnio ad natnram noſtram ſit maxima omnium vnionum, non tamen naturarum confuſio vlla ratione ſubſecuta eſt.
1 Propoſitio 3. has theſes continet. Prima ea eſt. Habet enim Chriſtus conſentaneè duarum naturarum naturalia, duas affectiones & duas voluntates & duas ſcientias.
2 Præter diuinam & increatam ſcientiam, quæ fuit in Chriſto, neceſſariū fuit eſſe ſcientiā inditam, vel infuſam animæ eius, qua omnia ſibi nota fierent, vt ſunt in propria natura per ſpecies intelligibiles intellectui proportionatas.
3 Præter ſcientiā inditam vel infuſam animæ Chriſti, fuit vlterius in illo ſcientia acquiſita lumine naturali intellect⁹ agentis, per abſtractionē ſcilicet à phantaſmatib⁹.
4 Anima Chriſti nullo modo comprehendit verbum vel diuinam eſſentiam.
5 Anima Chriſti omnia nouit in Verbo propriè, quæ quandoq; actu ſunt, fuerunt, vel erunt, & quæcunq; ſunt in potentia creaturæ: non tamen omnia in eo cognouit, quæ ſunt in potentia Dei creantis.
Anima Chriſti non cognoſcit infinita in actu, ſcit autem in Verbo, in potentia.

7 Ani-

7 Anima Christi, cùm perfectissimè coniuncta fuerit verbo Dei, cæteris quoq; creaturis diuinam essentiã perfectius & clarius intuetur.

1 Propositio quarta has Theses complectitur. Et prima ea est. Anima Christi respectu immutationis creaturarũ non habuit omnipotentiam, sed secundum propriã virtutem habuit potentiam ad eos effectus faciendum, qui eius animæ conueniebant: & vt fuit instrumentum Verbi, habuit potestatem quæcunq; miracula faciendi, quæ Incarnationis aduenientia erant, non tamen omnia redigendi in nihilum.

2 Anima Christi secundum propriam virtutem respectu proprij corporis non habuit omnipotentiam, sed vt instrumentum Verbi fuit, omnipotentiã habuit sui corporis.

1 Propositio quinta has Theses continet. Quarum prima ea est. Cùm oportuerit, vt pro omnibus Christus satisfaceret, illum esse scientia & gratia perfectum, nõ omnes corporales defectus assumere decuit, sed illos tãtum; qui totam naturam peccato lapsam consecuti fuerint.

2 Illos tantum defectus assumpsit, qui & lumini gratiæ, & lumini gloriæ, non detrahunt.

3 Fuit Christus simul comprehensor & viator, vt comprehensor propriam animæ beatitudinem habuit, vt viator tendebat in illam.

1 Propositio sexta has Theses includit. Et prima ea est. Ista enunciatio Deus est homo, est sempiternæ veritatis, vbi Deus pro supposito diuino quod verbum est supponere necesse est.

2 Quæcunq; filio hominis conueniunt, possunt prædicari & de filio Dei.

3 Tanta est illarum duarum naturarum vnio, vt si vnum de alio prædices non erres. Factus est Deus homo, vt homo fieret Deus.

4 Quæcunq; filio hominis conueniunt, non possunt de diuina natura in abstracto prædicari sed in concreto.

5 Non propriè & verè ille homo, scilicet Christus, est homo Dominicus, sed Dominus.

1 Pro-

1 Propoſitio 7. has Theſes comprehendit. Quarum prima ea eſt. Cum humana natura Dei filio coniuncta ſit in vnitatem perſonæ ſecundum ſubſtantiam, & non accidentaliter, fuit tantum vnum eſſe in Chriſto perſonale.

2 Fuit tamen in Chriſto duplex operatio diuina vna & humana altera.

1 Propoſitio 8. has Theſes amplectitur. Et prima ea eſt. Chriſtus ſimul fuit comprehenſor & viator, ideò nõ tantum potuit mereri ſibi, ſed de facto etiam meruit ſibi.

2 Tamen ſacrificij effectus non redundauit ad Chriſtum vt deleret peccatum, quia erat expers delicti, ſed redundauit ad nos: & ideò plus nobis meruit quàm ſibi.

1 Propoſitio 9. has Theſes continet. Quarum prima ea eſt. Quia Chriſtus Dei & hominum Mediator eſt, ideò ad ipſum attinet Sacerdotem eſſe.

2 Cùm per Chriſtum fuerint hominum peccata deleta, & gratia donata, ac gloriæ perfectionẽ conſecuti fuerimus, non modo Sacerdos fuit, ſed ſacrificium & hoſtia perfecta, pro peccato videlicet pacifica & holocauſtum.

3 Cum virtute Chriſti collata fuerit nobis iuſtificationis gratia, & pro nobis ſatisfecerit, eius ſacerdotium plenam vim expiandi peccatum habuiſſe, veriſsimum eſt.

4 Sacerdotium Chriſti fuit ſecundum ordinem Melchiſedechi, & non fuit Leuiticum. Ideò non ex tribu Leui, ſed ex tribu Iuda Seruator ſecũdùm carnem natus eſt.

1 Propoſitio 10. has Theſes includit. Quarum prima ea eſt. Non ratione vnionis hypoſtaticæ corpus Chriſti eſt in Sacramento Euchariſtiæ, ſed vi verborum eſt ibi verum & reale Chriſti corpus.

2 Duo ſunt manducandi ſacramentum modi: alter ſacramentalis, per quem ſolum percipitur ſacramentum, alter ſpiritualis, per quem ſuſcipitur effectus ſacramenti, quo homo ſpiritualiter Chriſto coniungitur.

3 Non modo iuſti, ſed peccatores Chriſti corpus ſacramentaliter ſuſcipere valent.

4 Tametſi Chriſtus indignũ cognouerit Iudã ſui corporis cõmunione, decuit tamẽ ipſum cum alijs diſcipulis communicare, ne iniuſtum ſine accuſatore damnaret.

5 Quan-

5 Quanquam verum Christi corpus & sanguinem sub sacramento hoc esse sensu nō deprehendamus, verum nihilominus hoc esse, sola fide certum est, quæ diuinæ in hoc innititur authoritati.

6 Cum Christus sit in hoc sacramento non per modum quantitatis dimensiuæ, sed per modum substantiæ, non sicut in loco, sed per modum substantiæ est in eo, quomodo videlicet à dimensionibus substantia contineri dicitur.

7 Cum Christus sit in hoc sacramento per modum substantiæ, non nisi à viatoribus per fidem, à beatis verò lumine gloriæ perfusis videri potest, quomodo sit in hoc sacramento.

8 Species sacramentales frangi possunt in sacramento secundum quantitatem dimensiuam illarum, non autem frangitur Christi corpus, sed in quauis particula integrum manet.

9 Cum Eucharistiæ Sacramentum cæteris sit dignius, verba huius sacramenti necesse est vt suum effectum sortiantur, Christi enim verba sunt, qui ipsissima est veritas.

10 Quamuis hoc Sacramentum plura nomina habeat, genuinum & germanum ipsius nomen est. HOC EST CORPVS MEVM. ET HIC EST CALIX SANGVINIS MEI, NOVI ET AETERNI TESTAMENTI, MYSTERIVM FIDEI, QVI PRO VOBIS ET PRO MVLTIS EFFVNDETVR IN REMISSIONEM PECCATORVM.

Hoc facite quotiescunque sumitis in mei commemorationem. Mat. 26. Luc. 22. Marc. 14. 1. Cor. 11.

THESES EX EPICEDIA.

PRima propositio has Theses continet, & sub se comprehendit, quarum prima ea est. Sacramentum

ethy-

ethymologia ab ipsa voce desumpta, sicuti & ornamentum ab ornando dictum est, ita & sacramentum à sanctificando.

2 Passio Christi Sacramētum est, secundum aliquam Sacramenti acceptionem.

3 Antiquæ legis sacramenta possunt iuxta aliquas sacramenti acceptiones, sacramenta vocari.

4 Iuxta veram significationem, solum nouæ legis sacramenta, talia sunt appellanda.

1 Propositio secunda has Theses includit. Et prima ea est. Omnes sacramenti descriptiones, seu definitiones, quas Doctores antiqui posuerunt, sunt apposite traditæ.

2 Nulla pura creatura potuit sacramenta instituere, neq; potest, sed hoc proprium & peculiare officium erat Seruatoris & Mediatoris Christi, qui Deus & homo est, idemq; Dei & hominum Mediator.

1 Propositio tertia has Theses cōmplectitur. Quarum prima ea est. Si antiquæ legis sacramenta nouæ legis sacramentis comparentur, in immensum distant à vera & genuina sacramentorum ratione. Ideo ab Apostolo egena & infirma elementa appellata fuêre, ratione desumpta ex ipsorum natura, nunquam enim possunt accedentes sanctificare.

2 Sanctificatiua virtus quam ipsa sacramenta habent, in solidum vni Christo attribuenda est.

1 Propositio quarta has theses sub se includit. Et prima ea est. Quamuis Eucharistiæ sacramentum plurimis figuris fuerit præfiguratum, non omnes tamen eandem habent significationem.

2 Multa enim habent repræsentationem longinquā, Melchisedechi tamen oblatio proprius ad ipsum sacrificium quod Christus in Ecclesia obtulit, accedit.

3 Ita & à simili Isaachi cum patre Abrahamo ascensus ad montem, & lignorum vectio, proprius ad Christi crucifixionem accedit.

Propositiones primi Thesauri vndecim sunt, in quibus comprehenduntur triginta septem Theses.


In

In secundo & tertio Thesauro sunt decem propositiones, quæ sub se complectuntur quadraginta tres Theses.

In Epicedia sunt quatuor propsitiones, quæ vndecim Thesibus absoluuntur.

Theses autem omnes numero sunt centum & vna.

HAEc sunt quæ de Eucharistiæ Sacramento volui ptractare, Deo autem Opt. Max. nobis vitã concedente, insequentibus Nundinis Autumnalibus alia ad oblationem Christi incruentam in ipso sacrificio Missæ spectantia, absoluta & terminata erunt in nostro hæresum Theatro, & hæreticorũ Laberyntho. Interim PVLCHERRIME IESV CHISTE, *rogo te per illam qua genus humanum complecteris charitatem, & per illam sacratißimam effusionem preciosi sanguinis tui, quo redempti sumus, da mihi cordis contritionem et lachrymarum fontem, præcipuè dum preces & orationes tibi offero, dum laudis psalmodiam tibi persoluo, dum mysterium nostræ redemptionis manifestæ misericordiæ tuæ recolo vel profero, dum sacris altaribus licet indignus aßisto, cupiens recipere illud mirabile* (Luc. 22.) *& cœleste sacrificium omni reuerentia & deuotione dignum, quod tu Domine Deus meus Sacerdos immaculatè cõstituisti, & offerre præcepisti in commemorationem tuæ caritatis, mortis scilicet & paßionis pro salute nostra, pro quotidiana nostræ fragilitatis reparatione. Confirmetur mens mea et omnium inter tanta mysteria dulcedine præsentiæ tuæ, sentiat te nobis adesse & lætetur coram te benedicte* (In Manualica. II) *IESV per infinita seculorum secula, Amen.*



THESAVRVS DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE

ADVERSVS CALVINVM ET RELIQVOS SACRAMENTARIOS.



PROOEMIVM:

Hoc est corpus meum. Matth. 26.



Nisi saluti nostræ vigiles perspexerimus Circeis ebrios poculis, in prodigiosas brutorum species illecebrosa deformat. Sed fide fluctuanti animo, & sæuienti inimico occurrendum est. Hæc cùm consummationem expectat, finem nescit. Deuicit ista Samosatenũ, Arrium debellauit, Sabelliũ subegit, Aetium abduxit, Manichæum extinxit, Vigilantium confudit, Beringharium prostrauit, omnesq; hæreses cuiuscunque generis confregit, edomuit, euulsit stirpitus: Fidem enim non habebant: Et ibi rationes quærebant, vbi si humana ratio præberet experimentum, nullum esset fidei meritum. Et ideo mirum non est: Si vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est desipiens cor eorum. Caligauitq; eorum insipiens animus: & sapientes se professi, stultos præstiterunt. Rom.1.

Hísne igitur inuidebimus? hos æmulabimur?& obliti propriæ dignitatis, oblitiq; pa-

triæ, patriæ inquàm cœlestis, horum nos ipsi quum liberi simus nati, vltrò mancipia euadamus, & vnà cum illis miserè viuētes & morientes miserius, miserrimè tandem æternis ignibus affligamur.

Ioan. 6. O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca? Quis non videt, panis quem ego dabo caro mea est pro sęculi vita, vel luce clarius, hæc omnia ipsa esse veritate clariora, nec tamen credunt multi, quæ verè absque tropo credenda esse cognoscunt. Sed hærent quàm plurimi, necquicquàm cæno cupientes euellere plantam. Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, nihil illis est tutum, nihil pacatum, omnia metum, omnia curas intentant, omnia mortem. Quapropter state mecum vos Christi fideles, vos inquàm appello. Sumite diuinam armaturam, vt aduerso tempore resistere, & cōfectis omnibus stare possitis. State igitur accincti latera veritate, & iustitiæ loricam induti, pedibus calceatis alacritate euangelij pacis: assumpto in primis clypeo fidei, in quo possitis omnia mali ignea tela extinguere.

Ad fideles adhortatio.

Ephes. 6.

Ad firmandum cor syncerum sola fides satis est. Nihil Deo gratius, nihil hominibus honestius atq; melius esse potest. Latēt enim in fide vis atq; potestas quædā viua & efficax, quæ credentiū animos in diuinum amorem mira quadam virtute transformant. Hæc si fuissent in perditis hisce hominibus, si homines

sunt

ſunt appellandi, qui humana iura nituntur infirmare, & diuina quæque penitus abolere: qui omnia quiſquilijs impediunt, & inuoluũt vt propriam nutriãt impietatem, nequaquàm ita miſerè cæcutijſſent circa veram & realem præſentiam corporis Chriſti. Quam ſecluſis tropis & figuris, ex ipſo Dei verbo, & vnanimi ſanctorum patrum ſententia, quãtum poteſt mortalis infirmitas demonſtrare ſatagam, ad Dei gloriam & mortalium commodum & vtilitatem.

TRACTATIO DE INEFFABILI SACRAMENTO EVCHARISTIAE.



VT autem clara & diſtincta ſit noſtra hæc narratio, à diuiſione exordium ducemus. Et primùm dico, ſacramenta eſſe in duplici differentia. Alia enim ſunt ſacramenta antiquæ legis, alia nouæ legis. Quæ autem antiquæ legis ſacramenta dicebãtur, longè melius ſigna cenſenda ſunt, quàm ſacramenta. Illa enim inſtituta fuêre ſignificãdi gratia, inquit enim Apoſtolus. Lex enim vmbram obtinens futurorum bonorum, non expreſſam formam rerum, ijs hoſtijs quas ſingulis annis eaſdem aſsiduè offerunt, nunquàm poteſt accedentes ſanctificare. Et huius generis fuerunt ſacrificia carnalia, & obſeruantiæ cæremoniarum antiquæ legis, quæ nequaquam poterant offerentes facere iuſtos. Inquit Paulus. Nam ſi ſan- Heb. 10. Heb. 9.

Ad Valerium aduersus Iulianum. guis & hircorum, & cinis iuuencæ aspersæ inquinatos sanctificat ad carnis puritatem. Ideo Augustinus breuibus & illorum naturam, & istorum conditionem dicit. Illa promittebāt tantum & significabant, Hæc autem dant salutem.

Caussa autē cur Seruator noster sacramenta voluerit instituere, ea est, Mundus Protoparētis peccato, duplici tenebatur incommodo, culpæ scilicet, & pœnæ. Omnes enim peccauerunt, ac destituti sunt gloria Dei. Seruator itaque noster aduersus culpam attulit nobis gratiæ abundantiam, atque gloriæ lętitiam contra miseriam pœnæ. Hoc duplex beneficium iam longè hac vaticinatum fuerat. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Seruatoris, & dicetis in die illo, confitemini Domino. Et Spiritus sanctus primū promittit nobis abundantiam gratiæ saluantis nos à culpa, cùm ait, haurietis aquas. Secundò dicit, se collaturum in altera vita lætitiam resurrectionis gloriosæ liberātis ab omnibus miserijs & pœnis, cum dicit, & dicetis in die illo cōfitemini Domino.

Rom.3.

Isa.12.

Tres enim conditiones gratiæ mundantis à culpa breuibus verbis complexus est, prima gratiæ abūdantiam, dicens. Haurietis aquas in gaudio. Nam quemadmodum tempore Noē factum est diluuium aquarum corporalium, ita Seruatore adueniente emanauit diluuium aquarum spiritualium, & gratiarum ad saluandum mundum. In diebus ipsius emanauerunt

Gen.7.

Eccle.50.

putei

putei aquarum. Ideo Christo in cruce mortuo, emanauit ex latere dormientis aqua ad abstergenda peccata. Hoc quoque idem Spiritus sanctus prædixerat, factus est fons patens domui Dauidis. Zacha.13.

Necessarium fuit diluuium harũ aquarum spiritualium, quia iam repleta erat terra aquis vitiorum. Has aquas antiqui haurire non poterant, quia nec continebatur, nec dabatur gratia in sacramentis ipsorum. Erant enim cisternæ dissipatæ quæ continere nequeunt aquas, & gratiarum fluenta. Ideo Spiritus sanctus lamentatur de Iudęis legalia obseruantibus post Seruatoris mortem. Me dereliquerunt Deum fontem aquarum viuarum, & foderunt sibi cisternas nõ valentes tenere aquas. Sacramenta siquidem euangelicam gratiarum continent abundantiam. Ideo ad ipsa inuitantur omnes. Sitientes venite ad aquas. Hier.4. Isa.53.

Quemadmodum fontiũ aqua iugiter fluit, ita et gratia Sacramentorum nouę legis perennis erit. Qui biberit ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ioan.4.

Sunt enim euangelica sacramenta medicamẽta perfecta, quoniam Deum suauitate placant, propitiumq; efficiunt, & homini impetrãt gratiam, vestiunt expoliatum, roborantque infirmum, & naturalia reparãt. Ideo scriptum est, vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis. Talis autem nullus esse potuit nisi Christus, qui vt Eccle.38.

ecclesiæ suę sacramenta componeret, sibi corpus aptauit,& non aliundè suffuratus est odorem, qui totus odore plenus erat, & vt talis odor ad nos emanaret, seipsum ęterno patri obtulit, qui dilexit nos, & trad ididit semetipsum pro nobis oblationem & hostiã Deo in odorem suauitatis.

Ephe.5.

Mat.26. In ipsius itaq; passione fractum est alabastrum, ipsius scilicet corpus vulneratũ & mortuum, & domus impleta est ex odore vnguenti:& ita de plenitudine eius omnes accepimus, & ideo vnctiones quę erant in lege, adumbrabant & non curabant, quia impossibile est sanguine hircorum & taurorum auferri peccata.

Ioan.1.

Heb.10.

Multiplici de caussa instituta fuêre sacramenta. Primò, vt humana præsumptio humiliaretur ipsis rebus sensibilibus, quæ sunt infra hominẽ, vt ex humilitate ista grata obedientia Deo placeret, quemadmodum in protoplausto superbia displicuerat.

Instituta sunt etiam sacramenta. vt homo instrueretur, vt ex visibili quadam specie ad inuisibilem gratiam perueniat, adeoq́; ipsa erudiatur mens, sub tegumento rerum corporalium diuinam latitare virtutem.

Instituta sunt etiam sacramenta, vt desineret homo à torpore, & ab ignauia, ideoq́; nobis vtilis & salubris exercitatio proponitur. Ne segnes nos Zabulus inueniat. Ideo Samarita noster vulneratum descendentem ab Hierusa-

Hie. in epistola ad Rusticũ.

rusalem in Hiericho salubribus medicamentis curauit. Quia contra peccati originalis labem, & cõtra vulnus actualium, sacramentorum remedia Deus ipse composuit. Luc. 10.

Est autem sacramentum, rei sacræ signum quoddam, auctore Augustino. Quod præter speciē quam ingerit sensibus, facit aliqd aliud in cognitionē venire. Agè exemplo aperiam. Quemadmodū ex prætereuntis animalis pede in puluerem impresso, in animalis cognitionē deuenimus, & fumo viso ignem fatemur esse in canino. Ita circūcisio signum quoddā fuit, per quod fidelis populus ab infideli, nota dūtaxat ista seiunctus erat. Ita baptismus, & Eucharistia signa sunt, quæ præter speciem quam sensibus ingerunt, faciunt in agnitionem veritatis venire. Sunt enim sacramenta symbola quædam, aut notæ, quibus Christianus à non Christiano secernitur. Ideo sacramentum est corporale seu materiale elementum extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, ex sanctificatione inuisibilem gratiam continens. Libr. 2. de doctrina Christiana cap. 1. Rom. 4.

Nec sine maxima ratione sacramentum sacræ rei signum & symbolum appellatur. Est enim in sacramento multiplex signum. Est siquidem signum quo præteritorum, præsentium & futurorum admonemur, & ideo nouæ legis sacramenta, tria dumtaxat significant. Causam scilicet sanctificantem,

primam & meritoriam. Quemadmodum ba-
Rom. 6. ptiſmus mortem & ſepulturam Seruatoris, vt Paulus ait. Sepulti igitur ſumus vnà cum eo per baptiſmum in mortem : vt ſicut excitatus eſt Chriſtus ex mortuis in gloriam patris: & nos noua vita ambulemus. Et quātum ad hoc ſunt ſacramēta ſigna rememoratiua. Admonemur eius quæ præterijt Chriſti paſsionis, ex qua omnia ſacramenta virtutem habent. Signa etiam & ſymbola ſunt effectus præſentis ſcili-
Pſal. 50. cet gratiæ & ſanctificationis. quia hominem
Ephe. 2. in peccatis conceptum, & natura iræ filium, in adoptionem filiorum Dei locant & conſtitu-
Rom. 8. unt. & ita ſunt ſigna & ſymbola demonſtratiua præſentium rerum.

Obiectio Nec quiſpiam mihi obijciat, quàm plurimos ſanctificationis effectum non recipere, & gratiam non habere.

Dilutio. Confeſtim reſpondebo, id non ſacramenti vitio euenire, ſed recipientis, eius ſcilicet, qui non pura mente, ſed irretitus mundi lenonicijs, & illecebris fictè, & non fide ad Deum conuertitur.

Sunt etiam ſigna & ſymbola prognoſtica rerum futurarum. Significant enim ſanctificationis finem, ipſam ſcilicet ęternam vitam, ad quam tendimus.

Hinc clarum eſt, nō vnius tantum rei ſymbolum eſt ſacramentum ac ſignum, ſicut baptiſmus paſsionis Chriſti quæ præterijt, ſignū eſt rememoratiuum, præſentis gratiæ demon-

ſtrati-

ſtratiuum, futuræ gloriæ Prognoſticon. Eſt enim ſacramentũ (authore Auguſtino) in quo ſub tegumento viſibilium rerum virtus diuina ſecretius operatur. Et ideo virtutem ſuã in viſibilibus eiuſmodi ſignis operari voluit, vt noſtræ ſe imbecillitati diuina maieſtas accommodaret. vt appoſitè Chryſoſtomus aduertit. Si tu incorporeus eſſes, nuda incorporea ipſa bona tradidiſſet tibi: Quoniam verò corpori coniuncta eſt anima tua in ſenſibilibus intelligenda tibi traduntur.

Libr. 2. de doctrina Christiana.

Super Matthæũ homil. 83.

Ita autem natura comparatum eſt, vt ad eorum, quæ intelligenda ſunt agnitionem, non ferè niſi per ea, quæ ſenſu percipiuntur, peruenire poſsimus. Quod non ab huiuſmodi ſeculi ſapiente traditum eſt, qui dixit: Principium noſtræ cognitionis eſſe à ſenſu, & nihil eſſe in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu: verum ab illo quoquè, qui plenus cæleſti ſapientia ſcriptum reliquit. Ipſius enim inuiſibilia, dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perſpiciuntur: æterna videlicet eius, tum potentia, tum diuinitas. Quò facilius itaq; ſecretior operatio Dei mente comprehendi poſsit, ſignis quibuſdam viſibilibus id demonſtrari voluit Deus. Cuius etiam ſapientiæ congruebat, vt quemadmodum à viſibilibus lapſus occaſio ſumpta fuit, ſic in eiſdem viſibilibus remedium inueniret. Et ideo ſacramentum eſt ſignum ſenſibile, gratiam ſeu effectum Dei gratuitũ ex inſtitutione diuina

Lib. 2 poſteriorum & lib. 2. de anima.

Rom. 1.

efficaci modo significans, effectum, inquam, gratuitum ad salutem hominis viatoris.

Sap.7. Principium enim reparans verbum incarnatum est, quod omnia fortiter administrat, & cum sapientia gubernat, ita debet reparare genus humanum, vt medicina conducat ęgrotanti, ęgretudini, ęgretudinisq; occasioni, & curationi.

Ioan.14. Deus enim Medicus est, propria natura inuisibilis, in natura autem humana visibilis. Deum nemo vidit vnquàm, vnigenitus filius eius qui est in sinu patris enarrauit nobis. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis & incarnatus est, & homo factus est.

Symbolũ Nicenum

I sa.56. Infirmus autem est homo, in quo à planta pedis vsquè ad verticem capitis non est in eo sanitas. Qui non est anima tantum, nec corpus tantum, sed spiritus in carne mortali.

Morbus verò est originale peccatum, quod per ignorantiam infecit mentem, & per concupiscentiam polluit carnem.

Huius quoque peccati origo etsi principaliter fuerit ex consensu rationis, tamen principium accepit à sensibus carnis. Ideo ad hoc vt medicina his omnibus corresponderet, necesse fuit, vt nõ solum spiritalis esset, sed etiam haberet aliquid de signis sensibilibus. Nam quemadmodum hæc sensibilia fuerunt, menti la-

ti labendi occasio, ita essent & resurgendi materia.

Et quia signa sensibilia de se efficacem ordinationem ad gratiam non habent, etsi ex natura propria habeant repræsentationem longinquam, necesse fuit, vt ab ipso gratiarum authore instituta essent ad significandum, & benedictione donata vt sanctificarent, & ita essent ex naturali institutione repræsentatiua, & ex cœlesti benedictione sanctificarent homines, inquit enim Augustinus. Meliores iudicauit DEVS seruos suos, si ei liberaliter deseruirent, ideò dedit eis liberum arbitrium, contulit etiam remedia contra peccata, vt si peccarent, possent redire per illa remedia, & talia remedia sunt sacramenta. In libro de doctrina Christiana.

Sacramentorum autem signa, elementa appellabimus, ad quæ cum accesserit verbum, sunt sacramenta, & non ante. Et ideò Christus, qui sacramentorum est author, instituit sacramenta in verbis & in rebus. Res tangit corpus, verbum autem animam labe purificat. Quod illa cum audit, credit, credendo autem fit munda, & à peccatorum labe purgatur. vt Seruator dicit. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Quem locum ita interpretatur Augustinus. Quare non ait propter baptismum, quo loti estis, sed propter sermonem mundi estis. Ioan. 15. Super Ioannem 80

Nisi

Nisi quia aqua verbum mundat: Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Et subdit, vnde ista tanta virtus aquæ, vt cor-
Acto. 11. pus tangat, & cor abluat, non quia dicitur, sed quia creditur. hoc verbo faciente? Hinc & scriptura dicit, fide purificans corda eorum. & ali-
Rom. 10. bi. ergo fides ex auditu. auditus autem per verbum Dei.

Hinc orthodoxi patres sacramẽtorum attendentes dignitatem, fassi sunt pijssimè, Dei ecclesiam sacramentorũ dono nunquàm fuisse destitutam. Quamuis alia atque alia sit sacramentorum necessitas. Nam in statu iustitię originalis sacramenta non erant necessaria quantum attinet ad curationem, quia vbi non est morbus, nec morbi curatio est necessaria. Sed necessaria erant, quantum ad ipsam eruditionem spectat. connaturale enim erat homini ex sensibilibus ad spiritualia eleuari.

Ipsorum autem sacramentorum elementum est instar materiæ, ipsa autem verba sunt instar formæ. Hinc decretum est apud celebres Theologos, sacramenta constare rebus & verbis. Seu materia & forma.

Nouæ autem legis sacramenta continent in se gratiam, & ideo gratiæ vasa appellantur, & sunt illius caussa, non quod in eis gratia (vt notis scholæ vtar) substãtialiter contineatur, vel caussaliter efficiatur. Cum gratiæ subiectum & receptaculum sit anima, sed quia gra-

tiam ſignificant, quæ in ipſis ſacramentis ſemper inuenitur, & ſemper confertur, niſi adſit indiſpoſitio ex parte ſuſcipientis.

Præterea ſicut illud quod eſt in vaſe, nõ eſt de ipſo vaſe, nec ex ipſo, ſed ab ipſo, ita gratia non eſt à ſacramentis, nec de ſacramentis, ſed oritur ab ipſo gratiarum fonte, authore & pelago Chriſto Ieſu, per quem gratia & veritas facta ſunt, & de cuius plenitudine omnes nos accepimus. Et ab ipſo hauritur ab ipſa anima de ipſis ſacramentis. Ioan.1.

Nec ſine cauſſa pijſsimi patres diſtinctionem temporum circa ſacramenta ipſa adinuenerunt. Primi enim temporis ſacramanta fuerunt quemadmodum vmbra, medij temporis ſicut imago ſeu figura, poſtremi autem temporis gratiæ ſcilicet, ſicut corpus quod intra ſe veritatem continet, & gratiam, quam ſignificatione repræſentant. Vnde priora ſacramenta præparauerunt, & perduxerunt ad noua, ſicut via ad terminum, & ſicut figura ad veritatem, & imperfectum ad perfectum. Quod lepidè aduertit Apoſtolus. Lex vmbram obtinens futurorum bonorum, nõ expreſſam formam rerum. Heb.10.

Nec tamen putandum eſt ſacramenta ipſa ita à Seruatore Chriſto inſtituta fuiſſe, vt ſine ipſis gratiam conferre non poſſe credamus, abſit hoc. Non enim alligauit gratiam ſuam ſacramentis, vt non alijs vijs cum placet ſibi illam conferre queat. Poteſt enim pro libero

volun-

voluntatis arbitrio, quùm vult effectum sacramentorum sine sacramentis causare.

Apagè exemplo monstrabo: cum quispiam infirmatur, absque omni hæsitatione Deus sua potestate morbum relegat, sanitatíque languentem reducit. Tamen sanare dicitur & medicina, quæ remouet materiam peccantem, solidatq; naturam. Sanare etiã dicitur & dieta, quia hominem sanitate recepta in ea ipsum conseruat. Sanat & medicus tanquam instrumentum & minister. Ita & à simili gratiæ author Deus est, qui animam spiritualiter

Isa.66. terinfirmam curat. Ego solus deleo iniquitates tuas propter me ipsum. Sanctificat gra-

Rom.6. tia, quia morbum expellit. Gratia enim Dei vita ęterna. Sanctificant sacramenta, quia sunt pyxides gratiæ. Sanctificant & ministri, alia tamen atque alia ratione, quod erudite aduertit

2.Cor.15 Apostolus. Itaque nomine CHRISTI legatione fungimur, velut Deo vos pręcante per nos: oramus Christi nomine reconcilia-

1.Cor.4. mini Deo. & alibi inquit. Sic nos reputet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. & hæc, de caussa sacramentorum in genere dicta sufficiant.

Postquàm in baptismi sacramento protoplausti vestibus exuti sumus, & in Christi cętum ascripti, cum baptismus sit fœdus Dei cum homine, & hominis cum Deo. Ita & Eucharistia sacramentum est charitatis tam

Rom.1. diuinæ, quàm nostræ. Deus enim qui con-

fi-1

solatur nos in omni tribulatione nostra, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, vt suam erga nos charitatem aperiret, atque dilectionem significaret, non vulgari aliquo & communi cibo, quos suo redemerat sanguine nutriendos existimauit, sed suo sanctißimo corpore ac pretiosissimo sanguine. Accipite & comedite, hoc est corpus meum: accipite & bibite, hic est sanguis meus. Mat. 26.

Nec alia de caussa à seruatore omnium Christo sacramenta instituta sunt, nisi vt suffragentur homini in vita spirituali. Est enim inter corporalem hanc qua viuimus vitam, & spiritualem, symbolum quoddam, nam corporalia spiritalium rerum similitudinem gerunt. Nam quemadmodum in vita corporali primùm necessaria est generatio, & post generationem alimento eget natura nostra, vt magis magisque perficiatur. Ita in spiritali natiuitate, primò necessaria est regeneratio spiritalis, & postea alimentum, vt regenerata natura crescat. Apposité & apertißimè ambagibus semotis seruator significauit, inquiens. Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum DEI. Et alibi, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Vtrumque Augustinus nobis manifestauit, cum inquit Scriptura. Ad

Nota symbolicam naturam rerũ corporalium & spiritualium.

Ioan. 3.

Ioan. 6.

Iesum

Ioan.19. Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & confestim exiuit sanguis & aqua. Dormit Adamus vt fiat Heua, moritur Christus vt fiat ecclesia, & de latere ipsius fluxerunt sacramenta.

Super Ioannem in narratione de passione.

Huius autem sacramenti dignitas maxima est. Nam ante legem & in lege præfiguratum & à prophetis præsignatũ fuit. Panem Angelorum manducauit homo.

Psal.77.

Res enim aliqua duplici via pręfigurari potest, primò per illud quod illius est signum ac ipsius caussa: Et ita sanguinis effusio ex latere Christi dormientis huius sacramenti figura fuit. Altero modo præfigurari potest, per illud quod dumtaxat signum tãtum est, & hoc modo quantum ad hoc quod solũ sacramentum est, in Eucharistia, figura ipsius fuit oblatio Melchisedech. Sed quantum ad sacramenti rationem ipsiusq; effectum attinet, potis ipsius figura, fuit Agnus paschalis. Quantum autem ad ipsius effectũ (seu vt notis scholæ vtar) quod est solum res. vtpotè gratia figura extitit Manna, quæ reficiebat, habebatq; omnem saporis suauitatem. Et si in antiqua lege plurimis etiam figuris fuerit adumbratum, omnes tamen ad istas habent quandam Analogiã & attributionem. Nam in cunctis sacrificijs & oblationib9, cum legis naturę, tum legis Mosis, significabatur & sacramentũ & sacramenti efficacia. Quod Apostolus vnica dumtaxat senten-

Gen.14. Exo.16. Exo.12. Gen.4.

ſententia comprehendit. Lex vmbram habẽs Heb.10.
futurorum bonorum, nõ expreſſam formam
rerum. Significatur enim per agnum paſcha-
lem Chriſtus, qui vt agnus coram tondente ſe Iſa.56.
patri obtulit pro nobis hoſtiam & placamen-
tum in odorem ſuauitatis. Poſſunt tamen iſtæ
figuræ repræſentare Chriſti corpus, quantum
attinet ad fidelium vſum, vt manifeſtum ap-
paret de oblatione ipſius Melchiſedechi. Qui Gen.14.
panem & vinum Abrahamo edendum obtu- Exo.16.
lit, idq; etiam apparet de agno paſchali, qui oc-
cidebatur & comedebãt illum, itemq; & man-
na ab ipſis collectũ, ad eſum illi populo con-
ceſſum fuit. Quod autem nõ eſt in alijs obla-
tionibus. Quæ etſi ſint noſtri redemptoris
præſtigia, non tamen ſunt huius ſacramenti
figuræ, ſed paſsionis, vt Abelis, Abrahami, Gen.4.
Iſachi acta nonnulla. & 22.

Nec tamen Bucerus & nonnulli alij audi-
endi ſunt aliqua ratione, cùm fateantur cor-
pus Chriſti ſolùm eſſe in vſu fidelium dum
ſumitur Euchariſtia, fuit enim hic error dam-
natus tempore Cyrilli Alexandrini Epiſcopi In epiſto-
ante mille ducentos annos, inquit enim, Au- la ad Ca-
dio, quod dicant, myſticam benedictionem loſyrium
ſi ex ea remanſerint in ſequentem diem reli- epiſcopũ
quię, ad ſanctificationem inutilem eſſe: ſed in- Arſinoi-
ſaniũt hæc dicentes. Non enim eſt alius Chri- tem.
ſtus, neq; ſanctum corpus eius immutabitur,
ſed benedictionis virtus & viuifica gratia per-
petuò manet in illa.

Audiat quæso, atque attendat quicunque studiosus Christi est, quomodo etiã nunc iniquitas, vt venenosus coluber in altũ se erigens
Psal. 71. nobis insultat. Sed qui capita fregit draconũ, franget vtiq; & istorum ceruices: dabitq; nobis vires quibus perniciosissimum effugiemus venenum.

Mat. 26. Dicant nobis isti, dum cõsecratur & benedicitur panis ille, Seruatoris benedictione, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus. Isti fatentur esse verum Christi corpus, & verum Christi sanguinem, sed solũ in vsu materiæ, nõ autem si reseruetur, sed nesciunt isti quid dicant. Nam si est in illo pane corpus Christi, & in illo vino sanguis Christi verus & realis, antequam seruetur, cur non erit postquàm seruatus est? cùm Cyrillus dicat insaniunt hæc dicentes. Sed quemadmodum optimus, solertissimusq; agricola, omnes ab horto eradicare vepres desiderans, diligenter longis rastrorum dentibus radices euellit: ita acutissimè, ac solertissimè germinaturas conspicientes falsas hęreticorũ opiniones, ex Dei verbo primùm, & vetustissimorum Patrum decretis quasi rastris eas euertemus, ac in recta fide studiosum conseruabimus lectorem, ne omni vento doctrinæ circumferatur vti instabilis & fluctuans. Et primùm de institutione tanti sacramenti agemus.

Mat. 26. Finem igitur legalibus cęremonijs impositurus, parari sibi voluit pascha, inquiẽs. Abite

in ciuitatem ad quendam, & dicite ei, Magister dicit, Tempus meum propè est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Et ex consuetudine legis ea quæri quæ solemnitas exigebat, agnũ assum, azimos panes, & lactucas agrestes. Et edẽt carnes nocte illa assas igni, & azimos panes cum lactucis aggrestibus. Exo.12.

Latent hic præclara & diuina mysteria, quę cum abdita sint nequaquam cognoscuntur, sed cum reserata erunt, omnibus ipsa meridiana luce erunt apertiora.

Carus enim ille & Deo dilectus Iudæorum populus, multis annis in seruitute illa dura & intollerabili Aegypti detentus, nec Deo laudes persoluere valebat. Quomodo cãtabimus canticũ Domini in terra aliena. Tandem Deo volente liberatur in manu potenti & brachio forti. Obruitur aquis Pharao, totusque ipsius exercitus; & liberati filij Israẽlis, laudes grates Deo persoluunt. Tunc cecinit Moses, & filij Israel carmen hoc Domino, & dixerunt. Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare, fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Murmurant pro cibo pluit coturnices & manna. Isa.6. Psal.136. Exo.12. Exo.14. & 15. Exo.16.

Totum hoc nascentis ecclesiæ typus est. Nos enim sumus satis, superq; satis filijs Israelis similes, qui obsequio dæmonis deuincti, Adami peccato sumus, in quo peccauerunt omnes, & egent gloria Dei. Grãtes Deo per- Rom.5.

Psal.13. soluere non valemus. Omnes deflexerunt, inutiles facti sunt: Non est qui faciat bonum, nó est vsque ad vnum. Nos enim illi sumus qui antequam nascamur contagione maculamur, (vt Psaltes clamat) ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et alibi scriptura inquit. Nemo mundus à sorde, neque infans, cuius est vnius diei vita super terram. Quod in noua lege affirmauit Apostolus. Eramus natura filij iræ. Et quemadmodum filij Israëlis à Pharaonis seruitute per Mosen ita & nos CHRISTI beneficio à dæmonis iugo absoluti sumus. Nisi enim filius vos liberauerit, non eritis liberi, sed si vos liberauerit, verè liberi eritis. Libertate qua Christ⁹ vos donauit. Et quemadmodú Pharao submersus fuit in exitu filiorum Israelis de Aegypto, ita & in Seruatoris morte absorpta est mors in victoria tua? & naturæ humanæ aduersarius debellatur, qui liberauit de potestate tenebrarum & transtulit in regnú filij sibi dilecti. Et alibi, fecit enim, vt qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum esset, vt nos efficeremur iustitia Dei in illo. Et sicuti Israëlis filij olim sub illa nube fuerunt, & cuncti mare transierunt, & in Moise baptizati sunt, nube & mari. Ita & christianus populus omnis sepultus est vnà cum eo per mortem: vt sicut excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris: ita & nos noua vita ambulemus.

[Margin: Ambrosius in libro de lapsu puerorum. — Iob.25. — Ephe.2. — Ioan.5. — Gala.4. — 1.Cor.15. — Col.1. — 2.Cor.5. — 1.Cor.10. — Rom.6.]

Neq; silentio inuoluendum est. Quod seruator inquit. Non dedit vobis Moses panem illum cœlestem, sed pater meus dat vobis panem illum cœlestẽ verè. Ait enim Cyrillus, panem enim cœlestem, manna, ex imperitia nuncupatis. Quo (quamuis innumeræ penè gentes in orbe sint) solum tamen Iudæorum genus & breui tempore fuit enutritum: & sic contractam ac exilem Dei misericordiam esse putatis, vt vni populo Iudæorum tantum suam misericordiam sit largitus. Manna verò figura fuit quædam, Dei vniuersalis liberalitatis, loco arræ hominibus concessum. Nunc verò quùm figurarum iam exactum sit tempus, & veritas in ianuis adsit, pater meus cœlestem vobis panem largitur, qui per manna priscis temporibus obumbrabatur. Ioan. 6. In expositione Ioan. de figura mannæ cap. 3.

Errant moderni nostri temporis homines, non intelligentes scripturas, sicut Iudæi quondam etiam errauerunt. Illi enim circa manna hallucinati sunt: Beringarius & Caluinistæ Beringarij sectatores, circa realem & veram pręsentiam Christi existẽtis verè, realiter, sacramentaliter, in sacramento cœne, & synaxis decipiuntur. Ideo Cyrillus subdit. Neminem enim vestrum errare volo. Non erat panis ille cœlestis, sed hic est qui vniuersum terrarum orbem potest nutrire, & toti mundo vitam dono præbere. Hic est panis viuus qui de cœlo descendit, qui manducat ex hoc pane viuet in æternum. Ioan. 6.

Accusat ergo valde Iudæos, quia veritatem spernentes, figuris affixi erant. Non enim illud verũ manna, & verus panis cœlestis fuit: Sed ipse vnigenitus filius, verus panis est. Ego sum panis viuus, qui quùm sit ex substantia patris, naturaliter est vita cuncta viuificans. Quemadmodum panis hic terrestris facit, imbecillitatem carnis nostræ sustinens atq; conseruans: ita & ipse per Spiritum sanctum corpus ipsum à corruptione liberat & Spiritum nostrum viuificat, qui enim manducat hunc panem, viuet in æternum. Sed exactiùs de manna & de ipsius corpore inferius agetur, cum de vera reali corporis Christi præsentia agetur.

Luc. 22. Circa autem tanti Sacramenti institutionem aduertendum duxi, quum Seruator noster inquit. Desiderio desideraui hoc pascha vesci vobiscum, antequàm ego patiar. Cœna disposita inter sacramentales epulas obuiauerunt sibi antiqua instituta, & noua, & con-

Exo. 12. sumpto Agno quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum discipulis magister apponit. Nec iam ad elaborata impensis & arte conuiuia populi inuitantur, sed immortalitatis alimonia datùr, à communibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciem, sed virtutis diuinæ inuisibili differentia probans adesse præsentiam. Accepto pane quùm gratias egisset, fregit: Et dedit eis, dicens accipite, comedite, hoc est corpus

meum

meum quod pro vobis datur: hoc facite in mei recordationem. Itidem etiã dedit eis poculum, poſtquàm cœnaſſet dicens: Hoc poculum nouum illud teſtamentum eſt ſanguinis mei qui pro vobis effundetur. Summa ſolertia, ſummaq; vigilia inanes hominum cogitationes præuenire atque anteuertere conatur.

Mirabilis nanque eſt hic rerum ſublimium ordo & rerum euerſio: Panem vocat corpus, & vinum appellat ſanguinem. Quod totum pijſsimè Cyprianus martyr declarauit. Panis iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat non effigie, ſed natura mutatus omnipotentia verbi, factus eſt caro. Et ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita ſacramẽto viſibili ineffabiliter diuina ſe infudit eſſentia, vt eſſet religioni circa ſacramenta deuotio, & ad veritatem cuius corpus ſacramenta ſunt, ſyncerior pateret acceſſus vſq; ad participationem Spiritus, non quod vſque ad conſubſtantialitatem Chriſti, ſed vſque ad ſocietatem germaniſsimam eius hæc vnitas perueniſſet. In ſermone de cœna Domini.

Inſtituit itaq; Chriſtus hoc eximium ſacramentum, quando poſt Agnum typicum corpus & ſanguinem ſuũ diſcipulis in cœna porrexit. Hinc Gregori⁹ Emiſenus ait. Quia corpus aſſumptũ ablatur⁹ erat ab oculis, et illatur⁹ ſyderibus: neceſſe erat vt die cœnę ſacramentũ nobis corporis & ſanguinis cõſecraret, vt coleretur iugiter per myſteriũ ꝙ ſemel offerebatur Mat. 26. In ſermone de ſacramẽtis & de catechizandis rudibus.

in pretium. Quam rem si Brentius considerasset, falsò quô non oportet cauillationibus, corpus Christi non vbique esse contendisset,
Mat.22. sed sectatus Seruatoris doctrinam, dedisset illud quod est diuinitatis deitati, & quod ad humanitatem spectat humanitati.

Plurimis siquidem de caussis necesse fuit huius sacramenti institutio, ex quibus nonnullas easq; præsertim potissimas in medium
Luc.22. afferam, est enim vna caussa ea scilicet & princeps, Seruatoris memoria. Hoc facite in meam recordationem. Altera caussa est, vt Seruatoris memoria esset iugis, vt offerreretur iugiter per mysterium, quod oblatum est semel in prętium: & perennis victima viueret in memoria: & semper præsens esset in gratia. Altera caussa est, vt daretur homini cibus quo sem-
Ioan.6. per viueret, qui enim manducat me & ipse vi-
Canone 30. super Matt. uet propter me. Ideo Hilarius ait. Accepta carne Domini, & hausto sanguine, id efficitur, vt nos in ipso, & ipse in nobis sit. Qui enim manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.

Nec dubium fidelibus esse debet, si memo-
Deut.33. ria Seruatoris ablegata fuerit ab eis, repentè malorũ ingluuies eos inuadet, Dei enim gratiam amittunt. vti scriptum est, Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui: & subdit. Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo, subtraham itaque gra-
Isa.17. tiam. vbi enim fons perijt, ibi riuus arescit, &
ali-

alibi, Eris deserta: quia oblita es Dei creatoris tui.

Postquam diuina gratia subtracta est, subsequitur subiectio potestatis dęmonis. Obliti sunt Dei, & tradidit eos in manus Sysaræ, potestati scilicet diaboli.

Subsequitur quoq; maxima culpæ deformitas, in pœnam peccati præcedentis. vt Paulus apertè clamat. Et sicut non visum est eis Rom. 1.
Deum in notitia retinere: ita tradidit eos Deus in mentem omnis iudicij expertem, vt facerēt quæ minimè conueniebant, computruerunt Iohe. 1.
vt iumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ, quoniam confusum est triticum.

Posset etiam alia caussa institutionis assignari, vt scilicet semper præsens esset fidelibus sacrificium. Et animaduersione digna est tanti sacrificij forma, quæ multiplex est. Prima fuit in præfiguratione oblationum antiquarum, quæ in signum data fuit, vti scriptum est. Si omnis Israel per ignorantiam peccauerit, Leui. 4.
offerat pro peccato suo vitulū. scilicet Christum, qui in persona non erat vitulus, sed bene in figura, ita etiam, in agno paschali idem Exo. 12.
symbolum redolet.

Secunda, in forma humanæ speciei, ipse enim sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutescet, & Isa. 53.
non aperuit os suum. oblatus est quia ipse voluit, & ita verè secundum formam humanam

Heb. 10. imolatus fuit in cruce. Ideò Paulus ait. Qua voluntate ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel factam.

Tertia, facta eſt in ſpecie panis & vini. Quę
Gen. 14. ita multis ab hinc luſtris præfigurata erat. At verò Melchiſedech, rex ſalem proferens panē & vinū (erat enim ſacerdos Dei altiſsimi) be-
Heb. 7. nedixit ei, huius rei ſymbolū declarauit Apoſtolus. Qui primum quidem ex interpretatione dicitur rex iuſtitiæ, deinde verò etiam rex ſalem, quod eſt rex pacis. Sine patre, ſine matre, ſine genere: neq; initium dierum, neq; vitæ finem habens: Sed aſsimilatus filio Dei, ma-
Ephe. 2. net ſacerdos in perpetuum. Ipſę enim eſt pax noſtra, qui vtraque fecit vnum, et intergerini parietis ſeptum ſoluit: Inimicitijs, id eſt lege mandatorum, quæ in ritibus poſitá eſt per carnem ſuam abolitis: vt ex duobus illis conderet in ſemetipſo vnum nouum hominem, faciens pacem, & vtroſque in vno corpore reconciliaret Deo per pacem.

Impiorū cauillatio. Sed aduerſus hæc aduerſarij Chriſti dicēt, & clamabunt, cur abolitum fuit ſacrificium antiquum, vetuſq; Sacerdotium.

Increpatio aduerſariorum. O furorem immenſum, ô præcipitantem ſe ad pericula mentem, quàm citò oblita eſt omnium quæ in ſcriptura ad ſalutem propriam proponuntur. Illa enim ſacrificia ideò exploſa fuerunt, quia inſufficientia erant, imò deficientia. Holocauſta veſtra non ſunt accepta, Victimæ veſtræ non placuerunt mihi. Sed

video

video confestim mihi compedes cõijci, & tela vndiq; parari. Nam ſcriptum eſt: Si peccauerit autem quis de populo terrę, offeret capram ſine macula, & adolebit eã ſacerdos ſuper altare in odorem ſuauitatis Domino, & dimittẽtur ei, antiquum itaq; ſacrificium Deo acceptum erat atq; gratum. Ideo Apoſtolus ſubſcribit: Et omnia ferè ſecundũ legem ſanguine purificãtur, & abſq; ſanguinis effuſione nõ fit remiſsio, ſacrificium itaq; illud Deo videtur acceptum & charum, quia ſi ſecus eſſet, nõ mundaret à delictis.

Nouatergiuerſatio.

Leui. 4.

Heb. 11.

Sed iſta ſi ita abſolutè intelligantur, vt obiecta ſunt, nónne & apertè cum veritate pugnant? Et cum tota ſacra ſcriptura & quemadmodũ in nouiſsimis diebus, inquit Cyrillus, verbum Dei ex Maria virgine, carne veſtitum proceſsit, in huncmũdum: Et aliud erat quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur. Carnis namque aſpectus in eo patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur diuinitatis agnitio. Ita & quùm per prophetas remiſsio peccatorum & per Apoſtolum delictorũ relaxatio, cùm per ſacrificia illa antiqua, tũ per legem hominibus proponitur, aliud litera, aliud literæ ſenſus ſignificat. Nam in animalis ſacrificio duo cõſideranda ſunt, caro dumtaxat & ſanguis animalis quæ offeruntur, & talia abſit, vt dicamus peccata relaxaſſe. Non poteſt ſanguis taurorum & hircorum auferre peccata.

Dilutio cauilli aduerſariorum.

Super Leuit. lib. 1.

Heb. 10.

Si

Si autem confiderauerimus id quod in spiritu latitat sub illis sacrificijs, nulli dubium esse debebat, sacrificia non ex se, sed ratione rei latitantis in eis, quę est Christus Iesus, pec-
Heb.10. cata donari. Est enim is, qui vnica oblatione consecrauit in perpetuum eos qui sanctificantur. Sacrificia siquidem illa quantum attinet ad ipsa, neq; culpam relaxabant, neq; animæ sordes purgabant, tamen apud homines remissa existimabantur, quantum spectat ad quandam legis pœnam.

Cum verò Paulus ait, non enim potest sanguis taurorum, & hircorum auferre peccata, intelligendum est, quantum pertinet ad ani-
Heb.9. mæ culpam, & quum inquit, & sine sanguinis effusione non fit remisio, quod etiam manifestat quùm dicit. Omnia ferè sanguine purgantur secundum legem, intelligendum est,
Heb.9. quantum ad lotionem externam, & corporis purgationem, quod vtique manifestat Apostolus, ait enim. Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis iuuencæ aspergens inquinatos sanctificat ad carnis puritatem, quanto magis sanguis Christi.

Iustorum itaque sacrificia vt Abelis, Abrahami, cæterorumq; aliorum non secundum se, sed propter Seruatoris mediatorisq; venturi fidem, Deo grata officiosaq; fuêre. quod
Philip.3. Apostolus eruditè expresit, & comperiar in eo, non habens meam iustitiam, nempe quæ est ex lege: sed eã quæ ex fide est Iesu Christi,

id est,

id eſt, iuſtitiam, quæ ex Deo eſt per fidem. Et alibi ſcientes nõ iuſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem Ieſu Chriſti. Quod appoſitè alibi manifeſtat. Abel per fidem, maioris pretij ſacrificium obtulit Deo, quàm Cain: & ita quicunq; ſalui facti ſunt à primo iuſto vſque ad poſtremum, omnes teſtimonio fidei probati inuenti ſunt in Chriſto Ieſu. Gala.2. Heb.11.

Et vt hanc de ſacramenti inſtitutione tractationem abſoluam. Maxima ex hac ſacramenti præfixione diuinæ liberalitatis magnitudo apparet, cum enim Deus non tantùm ſit ſummè bonus, ſed ipſiſsima ſit bonitatis ratio, & natura, maximè ipſius liberalitati hæc donatio congruit, tum quantùm ad doni excellentiam attinet, eſt enim ſupremæ dignitatis & excellētiæ, ita vt reliqua dona quę nobis largitus eſt, nulla ratione cum hoc ſint comparanda.

Donauerat enim Deus homini ipſius imaginem & ſimilitudinem, cœlum, terram, omneſq; beſtias ad ſeruiendum illi. Solem ad illuminandum, lunã & ſtellas pro noctis commodo, quæ omnia ſacra ſcriptura apertè vbique ſine fuco & quiſquilijs demonſtrat. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã. Et alibi: Deus creauit hominem de terra, & dedit ei poteſtatem eorum quæ ſunt ſuper terram. Et alibi, Solem & lunã & omnia aſtra cœli creauit Deus in miniſterium cunctis gentibus. Facit enim oriri ſolem ſuum Gen.1. Eccle. 17. Deut.4.

ſuper

Mat.5. super bonos & malos, & pluit super iustos &
Acto.13. iniustos, & alibi: Deus non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens: de cœlo dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra, ita vt Psaltes exclamaret,
Psal.8. quid est homo quia magnificas eum.

Largitus est etiam nobis creaturas illas nobilissimas, mentes illas cœlites, quas Angelos appellamus, in obsequium atq; in ministeriũ,
Heb.1. omnes sunt ministratores spiritus, qui ministerij caussa mittuntur, propter eos qui hæredes erunt salutis. Hinc videmus angelos sæpè sæpius hominibus impendisse obsequia & mi-
Luc.1. nisteria, donauit tandem seipsum. Benedictus Dominus Deus Israel, quòd inuiserit, & redemerit populũ suum. Et multis modis seipsum nobis donauit, in socium nostri itineris.

Baruch 3. Hic est Deus noster qui adinuenit omnem viam disciplinę, & tradidit eam Israeli dilecto
Luc.8. suo, & post hæc in terris visus est, & cũ hominibus conuersatus est. Et alibi, Ipse iter faciebat per singulas vrbes & vicos, prædicans & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo erant, & quædam mulieres quas sanauerat à spiritibus malis, & morbis. Maria quæ vocabatur Magdalenæ, ex qua septem dęmonia exierant. Et Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna & aliæ multæ. Et verè socius optimus fuit, quia socios viæ lassos, verbis optimis refecit, periculis absoluit, infirmos sanauit, & mortuos reuocauit ad vitã.

Lar-

Largitus est etiam se nobis in seruum nostræ indigentiæ. Qui quùm esset in forma Dei non duxit rapinam, parem esse cum Deo. Sed ipse se exinaniuit forma serui accepta, similis hominibus factus. Filius hominis non venit ministrari, sed seruire, & dare animam suam pagamentum pro multis, ego inquit, sum in medio sicut qui ministrat, donauit etiam se in precium redemptionis nostræ. In quo habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum ex diuite ipsius gratia. Et alibi, Et nos quùm etiam per offensas mortui essemus, vnà viuificauit nos per CHRISTVM, cuius gratia estis seruati: Et Seruator de se inquit. Et daret animam suam in redemptionis precium pro multis.

Philip. 2.
Mat. 20.
Luc. 22.
Ephes. 1.
Ephe. 2.
Mat. 20.

Horum omnium donorum princeps est, quùm dedit corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum. Panis quem ego dabo caro mea est pro sæculi vita. Inquit enim Gregorius: Bonus pastor Dominus, animam pro ouibus posuit, vt in sacramento nostro corpus suum verteret: Et oues quas redemerat carnis suæ alimento satiaret, & istæ summæ dilectionis est gradus. Magnum enim est dare se in socium peregrinationis, & in seruum necessitatis, maius in precium redemptionis, tamen tale donum est cum separatione ab eo cui donatur, verùm quùm datur in cibum, datur ad perpetuum arrabonem, &

Ioan. 6.
In ser. de corpore seruatoris

con-

Ioan.6. continuam vnionem. Qui manducat meam carnem in me manet, & ego in illo.

Eſt vtique & largitio ea ſuprema, ne dum quantum ad donum ipſum, ſed etiam quãtum ad dantis nobilitatem, tumq; etiam ipſius ſuſcipientis vtilitatem. Non enim corpus ſuum ſolũ largè largitur, ſed etiã diffundit illud amicis & inimicis, nec malignis ſubtrahit illud. Magnum eſt dare magna dona proximis & amicis, maius dare ſeruis & ancillis, maximum dare exteris, ignotis & peregrinis. Sed longè

Pſal.58. maius dare inimicis. Appropinquauerunt ſuper me nocentes vt edant carnes meas. Quod

Rom.2. ſignũ ingratitudinis maximè eſt. An copiam benignitatis eius, & tolerantiæ ac lenitatis contemnis, ignorans te benignitate Dei ad reſipiſcentiam deduci.

Eſt tandem donum hoc ſuſcipientibus vtiliſsimum, Deo ſiquidem conformes efficimur, bonitatis gratia. Ita vt exclamare valea-

Ioan.1. mus. Quotquot autem receperunt eum dedit

Prou.12. eis poteſtatem filios Dei fieri. Qui bonus eſt,

1.Cor.11. hauriet ſibi gratiam à Domino. Probet autem quiſque ſeipſum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit & bibit indignè, damnationem ſibi ipſi edit, & bibit, non diſcernens corpus Domini. Et hęc de inſtitutione dicta ſatis eſſe arbitror.

Alterum autem quod examinandum eſt, quoniam hoc eſt ſacramentum, & ſacramenta vt in principio diximus, conſtant rebus & verbis

verbis. Et res sunt instár materiæ, & verba instar formæ. Animaduertendum duxi, quod huius sacramenti materia est panis, & vinum. Forma autem sunt, hoc est corpus meum, & super calicem: Hic est sanguis meus. Ait enim Augustinus. Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, sacramento & re sacramenti, id est corpore Christi: Est ergo sacramentum & res sacramenti, idem corpus Christi.

Mat. 26.

In libro sententiarũ ad Prosperum. Contra martyré in tractatione de Eucharistia.

Sed quoniam sæpenumerò videmus, vt quæ per se bona sunt, si non benè quoque tractentur, boni gratiam amittere. Ideo né nobis hoc idem accidat, necessarium duxi significare, quomodo hoc sacramentum vnum sit. Nec veritati obest, aliam esse corporis materiam, panem scilicet, & aliam sanguinis, vinũ duntaxat. Et alia forma consecrari corpus, & alia sanguinem. Est enim vnũ hoc sacramentum non vnitate simplicitatis, sed integritatis, non tamen integritatis in tertio factæ, sed relatæ ad complendum vnum signum perfectum. Sunt enim in ipso sacramento duæ materiæ, seu res, & duplicia verba, seu formæ, ex quibus egreditur vnum signum perfectum ad vnum dumtaxat ordinatum, quod est ipsa fidelium vnio, quæ efficitur & designatur in ipso corpore mystico. Huius tamen integri-

tatis ratiò ex multis vnitatibus manifestari potest exemplo.

Nam dicitur quandoq; illud vnum, quod est vnum simpliciter, quemadmodũ indiuisibile, vt punctus, & vnitas, quod indiuisibile nec actu, nec dinami est multa. Alio modo appellatur vnũ per continuitatem, quod tamen dinami est multa, vt linea. Alio modo vnũ nuncupatur perfectione, vt ea res quę habet omnes partes spectantes ad eius integritatem, ad cuius integritatẽ, quàm plurima exiguntur, vt vnus homo.

Et quoniam ad substantiam & vsiam Sacramenti quàm plurima concurrunt, scilicet materia, forma, & minister, & intentio. Ideò ab ista vnitate sacramentum dicitur vnum. Illa enim sunt de Sacramenti integritate, quæ ad ipsius perfectionẽ requiruntur, ad quã ordinatur. Cumq; hoc sacramentũ à Christo ordinatum sit ad spiritalem nutritionem, quæ corporali refectione signatur, & quoniam ad corporis cibationẽ exiguntur duo, cibusdumtaxat, & potus, hinc est vt ad integritatem tanti sacramenti aliquid sit vt cibus, & aliquid,
Ioan. 6. vt potus. Corpus enim cibus est, & sanguis potus. Nisi enim manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Est itaque vnùm hoc sacramentum. Sed propter multiplicem signorum diuersitatem plura dicitur, ex materiali diuersitate. Cumque hoc sacramentum

cum

cum omnibus ad se requisitis non sit vnum in genere, aut naturæ specie, veruntamē vnum est, per quandam Analogiam, seu comparationem ad agendam vnam operationem completam, quæ est refectio spiritalis, ex qua vnitate, sacramenti vnitas accipitur.

Nec nominum multiplicitas vnitatem sacramenti tollit (vt quidā garriunt) Nam hoc Sacramentū plures habet significationes. Vnā enim habet respectu præteriti, quia dominicæ passionis memoratiuū est, & ita sacrificiū appellatur, imò verè & solum est sacrificiū. Vnica enim oblatione cōsecrauit in perpetuū eos qui sanctificantur. Aliam etiā sortitur significationem respectu præsentis, vnitatis scilicet ecclesiasticę, & ita cōmunio seu synaxis appellatur. Omnes em̄ vnum sumus qui de vno pane & de vno poculo cōmunicamus. Nāciscitur & aliā significationē respectu futuri, fruitionis scilicet Dei quā præfigurat, & ita viaticum nuncupatur. Et quoniam gratiam nobis præbet, & Christum totius gratiæ fontem continet, de cuius plenitudine omnes nos accepimus, ideò & Eucharistia vocatur. Dicitur etiā vt Damascenus affirmat Metalepsis, hoc est prępassumptio, Dei enim filij deitatem & diuinitatem assumimus. Vocatur etiam panis Angelorum & esca, ita vt qui manducat ex hoc pane, vltrà non esurit: Qui bibit vltrà non sitit, quoniā mysterium huius ita suffulcit gratia, ita reficit intelligētia, vt cuicunq; tantę rei

Heb. 10.

Ioan. 1.

Psal. 77.

innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine inuento Christi baiulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, & omni tempore habitatori suo dicta & facta, iubilatione consona laudes resonent, & gratiarum actiones decantent.

Hinc celeberrimi viri doctrina & sanctitate conspicui, considerantes maiestatem tanti sacramenti, constituerunt differentiam inter hoc Sacramentum & reliqua, quæ etiã materiam sensibilem habent. Nam Eucharistia continet aliquam rem sacram absolutè, ipsum scilicet Christum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, ac cognitionis absconditi. Baptismus tamen continet aliquam rem sacram in ordine ad aliud, virtutem videlicet ad sanctificandum. Et ideò Eucharistiæ Sacramentum in ipsa materiæ consecratione perficitur. Alia verò perficiuntur in ipsa materiæ applicatione ad hominem sanctificandum.

Col.2.

Est etiam & alia differentia, nam in Eucharistiæ sacramento, illud quod est res, & sacramentum, est in ipsa materia, illud autem quod est res tantum, est in suscipiente, gratia scilicet quæ confertur, quæ est sacramenti efficacia. In ipso autem baptismo vtrunq; est in suscipiẽte, scilicet character qui est sacramenti res, & sacramentum, & gratia largitionis seu remissionis peccatorum, quæ est tantum res seu efficacia.

Nec silentio prætereundum est, in omni sacra-

cramento tria esse origo dumtaxat, perfectio, & finis. Sacramentorum origo, ipsa Christi passio est, de cuius latere sacramenta fluxerũt. Sacramenti perfectio est, quia sunt gratiæ vasa (vt dictum est) finis tamen duplex est, vtpotè propinquus qui est recipientis sanctificatio, & vltimus, qui est vita æterna. Quæ tria excellentissimo modo sunt in Eucharistia. Hoc siquidem Sacramentum institutum est in memoriam dominicæ passionis (vt Seruator inquit.) Hæc quotiescunq; feceritis in mei memoriam facietis. Quantum autem ad originem spectat, vocatur hostia. Quia obtulit se ipsum sine macula Deo hostiam in odorem suauitatis. Et alibi, qui non cognouerat peccatum, factus est peccatum, hostia pro peccato. Estq; (vt vnico dumtaxat me expediam verbo) consummatio omnium sanctificationum, nã significata olim à tempore Melchisedech, prodeunt sacramenta, & filijs Abrahami facientibus opera eius summus Sacerdos panem profert & vinum. Hoc est, inquit, corpus meum: Manducauerant & biberãt de eodem pane secundum speciem visibilem, inquit sanctus ille Christi martyr Cyprianus, secundum formam visibilem, sed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis subsidium ministrabat. Sed ex quo à Domino dictum est, hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea, & hic est san-

Mat. 26. Ephe. 2. 1. Cor. 2. Gen. 13. Mat. 26. Mat. 14. In sermone de cœna dominica. Luc. 22.

guis meus, quotiescunque his verbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni consecratus existens, proficit ad totius hominis vitam sanandam salutemq́;, simul medicamẽtum, & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates affert.

Sunt autem in hoc Sacramento tria distinguenda, vnum quod tantum est sacramentum, alterum quod est sacramentum, et res: Tertium quod est res & non sacramentum. Sacramentum & non res, est species panis visibilis & vini. Sacramentum & res, caro Christi propria, & sanguis. Res & non sacramentum, mystica eius caro, porrò illa species visibilis, sacramentum est geminæ rei, quia vtranq; rem significat, & vtriusque rei similitudinem gerit expressam. Nam quemadmodum panis præ cæteris cibis corpus reficit & sustentat, & vinum hominem lætificat atque inebriat, ita caro CHRISTI interiorem hominem plus cæteris gratijs spiritualiter reficit, & sicut vinum lætificat cor hominis atque inebriat, ita sanguis exhilarat animam hominemq́ue saginat. Psal. 21. Calix meus inebrians quàm præclarus est.

Habet etiam Symbolum cum re mystica, quæ est vnio fidelium. Nam quemadmodum ex multis granis conficitur vnus panis, & ex pluribus acinis vinum in vnum cõfluit, ita ex multis fidelium personis vnitas ecclesiastica con-

constat. Ideo Apostolus inquit, vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane & de vno corpore participamus. Et Augustinus inquit. Vnus panis & vnum corpus ecclesia dicitur, pro eo quod sicut vnus panis ex multis granis & vnum corpus ex multis membris componitur, sic ecclesia, ex multis fidelibus charitate copulante connectitur. Hoc mysteriũ pacis & vnitatis nostræ, Christus in sua mensa consecrauit, qui accipit hoc mysteriũ vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non accipit hoc mysterium pro se, sed contra se. Ideò Augustinus inquit. Cuius etiã sacramentum, est corpus Christi proprium de virgine sumptum: quia vt corpus Christi ex multis membris purissimis & immaculatis constat, ita societas ecclesiastica ex multis personis ex criminali macula liberis consistit. In cuius rei typo facta est Archa de lignis Sethim: imputribilia & spinæ albæ similia. Estque tandem panis hic azimus vt martyr Cyprianus asseuerat & orthodoxè, cibus verus & syncerus per speciem & sacramentum nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat. Et sicut panis communis quem quotidiè edimus vita est corporis, ita panis iste supersubstantialis vita est animæ, & sanitas mentis.

[Margin: 1. Cor. 10. — In opusculo de sacramentis fidelium. — Ephes. 5. — De blasphemia Spiritus sancti. — In sermone de cœna.]

Sed inquiet quispiam, quorsum hæc, num vis, Christi corpus realiter esse in synaxi, & in ipsa Eucharistia?

[Margin: Dubitatio.]

Solutio. Vtiq; ô amici ac fratres, fratres enim vos appello adhuc, etiam si animos in nos geratis non admodum fraternos, sententiā enim nostram quæ orthodoxa fuit, & in mentibus bonorum est, obfirmabimus, non eo modo, vt equi feroces ac intractabiles sessore excusso: Et religionis freno, quo alioqui nostro commodo coarcemur, dissipato, vltra metam feramur, vt miseris hisce temporibus videmus. Sed intra terminos verbi Dei, & sanctorum patrum sententijs detineamur. Ne in Aegyptū efferamur, neq; in peregrinorū Assyriorum luxū dilabamur. Ne cum Beringario & Asseclis cantemus canticum Domini & absq; veritate in terra aliena? Etenim quia eius robur, quo veritati reluctentur, è suis ipsorū decretis non suppetit, idem hoc in nostris & diminutè, ea parte, qua eis suffragari, videri possunt, venantur.

Psal.126.

Sed quoniam in diuinis literis sunt abdita quædam, quæ noluit Deus omnibus reuelare, in quæ noluit alius penetrare, ita vt cum in illorum abyssum ingressus & aditus nobis reserata sunt cum fuerimus intromissi, tunc magis magisq; acclamandum erit. O profundas diuitias tum sapientiæ, tum cognitionis Dei, quàm inscrutabilia sunt eius iudicia, & eius viæ inperuestigabiles? Etsi res aliqua abdita, et quisquilijs inuoluta est, in ipsa sacra scriptura, ea est tractatio. An corpus Christi vnū solum existens: hocq; in cœlo ab oculorum intuitu

Rom.9.

tuitu

tuitu ſemotum, ſit in ſanctiſsimo Sacramento altaris, aut in ſanctiſsima Seruatoris ſynaxi & communione realiter: In quo ſacramento ſi penetrare conamur, quãtò fuerimus altius ingreſsi, tãtò magis, ac magis caligabimus, quod ſi cognoſceremus, & diuinæ maieſtatis lumen inperueſtigabile, & mentis humanæ imbecillitatem notam haberemus, tot monſtra, tot ideas, tot portenta non commentati fuiſſent homines.

Si enim veritatis aduerſarij animaduertiſſent, & recta mente cõſideraſſent, exemplum de ſpecu Coricio, qui vt fertur, primùm iucunda quadam amœnitate accedentes allectat, ac ducit ad ſe, donec altius atq; altius ingreſſos, tandem horror quidam, numiniſque maieſtas illic inhabitantis, eos ſubmoueat. Ex Pomponio Mela. Tanti Sacramenti ſi maieſtatem, quã perſcrutari nulla ratione valemus, ſi à mundi illecebris non abſoluti, ſi cupiditatibus irretiti, ſi humanis rationib⁹ voluerimus inuenire, nullum erit fidei meritum, vbi humana ratio exhibet experimentum. Eſt enim fides, illud quod facit vt extent, quæ ſperantur, & quod demonſtrat, quæ non videntur. Heb. 11. Omnes enim ſcimus, quid Ozæ contigit, qui prophanis manibus archam auſus eſt attingere, aut quid eſſet comminatum his, qui proprius montem fumigantem, accedere nõ formidarent. 2. Reg. 6. 1. Para. 13. Mens itaque longè quàm par eſſet curioſior, atque nimia literarum & ingenij ſui fiducia, Berin- Exo. 19.

 garium,

garium, Zuinglium, Ioannem Oecolampadium, Ioannem Caluinum, Petrum martyrẽ Vermilium, & Asseclas, quorum pereat memoria eorum cum sonitu, quia Dominus permanebit in æternum, in hanc insaniam deduxit, vt hi omnes negent corpus, corpus inquã Christi, realiter esse in sacramento altaris, sed solũ in signo, & figura, ibi esse fateãtur. Quẽadmodũ continebatur in alijs rebus, quę Christum in antiqua lege repræsentabant, vt fuit

Exo. 12. Agnus paschalis, hostię pacificorum, & vacca,

Leui. 3. quæ pro peccatis extra portã immolabatur, & petra quæ virga percussa populo sitienti aquã

Exo. 15. ministrauit, in quibus omnibus Christus significabatur, nõ realiter, sed signo quodã repræsentabatur. Ita vt Seruatoris sententiam,

Mat. 26. Hoc est corpus meum. Exponant eodem dicendi tropo: Petra aũt erat Christus. At petrã esse Christum, non ea ratione dixit Paulus, ꝙ vera esset petra, sed quia petra illa Christum repræsentauit. Tanquam expresſius dixisset, illud quod petra significabat, Christus est. Ad hunc etiam modum intelligendum esse, quod

Mat. 26. Christus ait. Hoc est corpus meum, non quod ibi sit verũ Christi corpus, sed quoddam signum repræsentans Christum, ibi est.

Huius stultitiæ primicerius fuit Beringarius natione gallus, patria Andagauensis, qui nisi citisſimè resipisceret, à Leone nono per Synodum Vercellensem Anathemate damnatus fuerat, qui nequaquàm resipiscens veneno

huius

huius dogmatis quàm plurimos infecerat, etsi à Lanfranco Canturiensi Periepiscopo conuictus esset, sed minimè gentium èmendatus, etsi à Victore Secundo qui Leoni huius nominis nono successit, in Synodo Turonensi monitus esset, & Pontificis Romani vice Hildebrandus interfuit. Nec tamen Beringarius à suo nefandissimo dogmate desijt, ita vt per Nicolaum Secundum qui Victori successit, in Synodo Romana centum & tredecim episcoporum, emendatus aut timore pœnæ emendationem simulans, Palinodiam cantauerit, vt habetur in decretorum codice. Quem errorem Ioannes Vuiclephus amplexus est, qui in concilio Constantiensi damnatus fuit, quem Canonem habemus in sexta eiusdem concilij sectione, etsi Bulingerus Pellicanus Tygurinus totum derideat sine ratione aliqua. Sicuti & Berngarij Palinodiam, sectaturque Zuinglij impietatem, qui meritas sui tanti sceleris dedit pœnas, cuius dira mors suorum ciuium sanguine, ac bello fratrum intestino cruenta, non minus est memorabilis, quàm aut Arrij, cui viscera viuo euellebantur: Aut Nestorij, cui viuo linguam exedebāt vermes: Aut Luciani, quem viuum rabidi discerpsêre canes.

Distinctione secunda.

Huius hominis ac teterrimi hęretici subdolam interpretationē Carolostadius & Ioannes Oecolampadius sectantur. Inquit enim circa hanc rem, tempus est, vt accedamus ad id

in

in quo ſtatus eſt ſermònis: nempe vt probemus verba cœnæ dominicæ eodem tropo di-
1.Cor.10. cta, quo illa quæ Apoſtolus dixit, petra autem erat Chriſtus: hoc eſt, petra ſignificabat Chriſtum, vel erat figura Chriſti. Nam in hoc totum diſsidium eſt. Si enim iparticôs & ſubſtantiuè abſque tropo expoſuerimus, Eſt: aſſeremus corpus Chriſti in altari non tantum ſacramentaliter, (vt vocant) Sed tam verè ac in cœlo eſt, adeſſe. Sin noſtra conuenit expoſitio, de tranſubſtantiatione, vel de conſubſtantiatione (vti liceat aduerſariorum verbis) ſuſpicandum nihil. Ita ſæpè ex minimis verbulis ſummæ quæſtiones emergunt. Neq; in hoc contenderim, ſi quis per corpus magis figuram corporis intelligi quàm verbum eſt, velit per ſignificat, interpretari. Nam id ipſum mihi arridet: vtrunq; tamen probo, eo quod eundem ſenſum reddit, ſiue eſt, ſignificat interpreteris, ſiue corpus figuram & ſacramentum corporis. Nos ſenſum, non verba quærimus. Hæc Oecolampadius.

Sed volo aduerſus hunc nefandiſsimum hominem iudices cõſtituere aduerſarios, volo hoſtibus arma porrigere. Nam heri & nudiustertius & hodie ſibi ipſis non conſtánt: & quamuis hæretici non ſint amicè tractandi, ſi Polycarpo martyri ac beati Ioannis Euangeliſtæ quondam auditori, maxima ſit adhiben da fides. Qui Marcioni hæretico plurimum acerbè reſpondit. Quem enim Marcionem,

quum

quùm martyr Polycarpus fortè fortuna obuium Romæ habuisset: Et is ita Polycarpum percunctaretur, cognoscis ne nos? Respondit Polycarpus: cognosco primogenitum diaboli. Ita vt hæretici ab orthodoxis molliter aut dissimulanter tractandi non sint, præsertim, hi qui toties admoniti, super errore suo nunquam resipiscunt, sed altius atq; altius in sordes illas immerguntur, vt Oecolampadio accidit, vt nūc nunc monstrabo, cùm detexero hominis huius leuitatem. Tamen qui nō confusos, sed cōuersos desideramus aduersarios, qui etsi vt muscæ vulneribus insident, ita nostræ veritati ipsi aduersentur, tamen amicè cū illis agemus, vt veritas clarior appareat.

Historiæ ecclesiasticę libro 4. cap. 13.

Et primùm iudicent auditores, an secū ista sint pugnantia: inquit enim Oecolampadius in quadam concione de Eucharistia. Simpliciter (inquit) & absque hæsitatione credamus, adesse & contineri sub hoc pane verum corpus, sub vino sanguinem: Et subdit. Non dico figurā vt Agnus paschalis. Manna, panes propositionis, subcinericium Heliæ, & cæteras veteris testamenti figuras. Absit id blasphemiæ, vt tantum tribuamus vmbræ, quantum luci & veritati. Et paulò pòst, panis hic nobis non tantum figurat, sed est ipsum corpus Domini, in hoc fidem Christo, veritati primariæ quæ fallere nequit: Et dixit. Accipite, & manducate, hoc enim est corpus meum. Carnem itaque & sanguinem Christi adesse, & contineri,

Nota Neotoricorum hæreticorū leuitas est.

Exo. 12. & 16.

1. Reg. 21.

3. Reg. 19.

Mat. 26.

neri, ſimpliciter fateamur: Et ſubdit, Hic (inquit) inſigni quadã & columbina ſimplicitate nobis opus eſt, ita vt à curioſitate qua maximè alieni ſumus, omnipotentiæ verbi Dei, & non imbecillitati mentis noſtræ fidem adhibentes, curioſitas noſtra ſemper Deo ingrata, & vbiq; periculoſa, ita hic periculoſiſsima debiles oculos excæcat ſol inſpectus. Scrutatoré maieſtatis peſſundat excellens claritas.

Prou.16.

Quæ te dementia cœpit ô Oecolampadi? q̃ verè neſciens quid diceres, hæc omnia cõtra te protuliſti, ſatius tibi fuiſſet, viã veritatis non cognouiſſe, quã poſt cognitioné abijſſeret retrorſum. Cùm fatearis poſtea Seruatorem tropo vſum fuiſſe, quùm inquit, hoc eſt corpus meũ, & quod magis eſt vocas hæreticos oppoſitum ſentientes, tu etiam hæreticus eris in illa tua concione de Euchariſtia: pudet profectò reſpondere. Nam ſi omnia ad tropum reducere voluerimus, nulla erit ſcriptura quæ non pari facilitate corrumpi poſsit, & detorqueri, & ita exultarent olim Cerdonitæ & Manichæi, & quiſq; negauit Chriſtum verum corpus habuiſſe, verumq́; hominé fuiſſe. Nec minus noua hac phraſi & exponendi tropo, gauderent Arriani, quùm dicimus. In principio erat verbũ, quia Arriani facilimè ſibi cõciliarent omnia, exponendo verbum eſt, per ſignificat, vt ſi dicatur, Deus erat verbum, id eſt figura quædam deitatis, & illud, verbum caro factũ eſt, ita exponeretur, verbũ, quædã carnis figu-

2.Pet.2.

Ioan.1.

figura facta eſt: quæ expoſitiones vt diſtortæ & prauæ explodendæ ſunt penitus ab auribus orthodoxorum, niſi velimus, quod abſit, in Baratrum errorum deſcendere. Quod vtinam Petrus martyr Vermilius aduertiſſet, & Caluinus conſideraſſet, atque omnes tandem Caluini ſectatores (pari vt iuſtum eſt fide) libraſſent. Nam rectum iudicium non reiecta Chriſti regula accipiendum eſt (vt moderni faciunt) qui ſuos ſenſus conſulentes peruerſam de hoc ſacramento ſententiam ferunt: & erroribus impliciti, innumeros in ſuos errores pertrahunt: quod minus facerent, ſi vel ipſum ſaltem Solomonem audiuiſſent. Is inquit, qui in iudicio faciem agnoſcit, non benè agit, & pro buccella panis deſerit veritatem, quod ſatis teſtatum faciunt, qui huius Sacramenti veritatem contaminant, hi profectò, panis buccella quam in ſacramento vident, decepti, ſacramenti veritatem amittunt. Et quemadmodum Chriſtus beatos eos pronunciat qui in eũ ſcandalizati non fuerint, ita nimirum beatus eſt is, qui vili panis ſpecie non offenditur: Sed Chriſti verbo innixus, ſub illo panis inuolucro, ſacroſanctũ Chriſti corp⁹, & ſanguinẽ eſſe realiter ſubſtãtialiterq; fatetur, neq; pſonã accipere dicitur, ſed verũ certũq; iudiciũ facere. Prou. 13.

Et quoniam tractatio iſta in plures partes miſeris hiſce & funeſtiſsimis tẽporibus diuiſa eſt, nam ex hæreticis qui hanc materiam tractant, quidam vocantur Significatiui, quidam Tro-

Tropistæ, quidam Energici, quidam Arrabonia rij, quidam Adessanarij, quidam Metamorphistæ, quidam Iscariotistę, quidam Neutrales Sacramentarij, quidā Iconoclastæ, quidam Vbiquitarij: ita vt sacramentariorum genus in decem frustra sit dissectum.

Nos tamen ex professo agimus in priori hac parte aduersus omnes, qui negant realem Christi præsentiam in pane, ita vt panis videatur, sed sit verum & reale corpus Christi, & vinum in calice sit, tamen sit ibi verus Christi sanguis.

Et ne à primis rudimētis discedamus, quoniam non est necessarium videre, an Synaxis, seu cœna Domini (vt dicunt alij) seu altaris imolatio, sit sacramentum, hoc enim nō vertitur in controuersiam, sed in controuersiam vertitur, an corpus Christi existat in illo frusto panis, & quomodo existat, ita vt omissa quæstione an sit, quùm de ista non sit discrimen, agatur solùm de modo. Et vt clara & distincta sit de ea re series & ordo, ita procedemus, priori loco Thesin proponemus: Secundo loco illā ex verbo Dei probabimus: Tertio loco ex vnanimi patrum de ea re sententia: Quarto loco ex aduersariorum contradictionibus. Et tandem occurremus omnibus instantijs in contariam partem.

Thesis ea est, caput illud Ioannis sextum de Eucharistia intelligendum esse. Ideo enim
Ioan. 6. Seruator ait, panis quem ego dabo caro mea est,

est, ideò Ambrosius inquit, sicut verus Dei filius est Dominus Iesus Christus, ita vera Christi caro, est quam accipimus, & verus sanguis eius est potus: ita vt in almo Eucharistiæ sacramento post panis & vini consecrationem, verborumq́; prolationem, quæ verba forma sunt huius sanctissimi sacramenti, Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum, atq; hominem, verè realiter, ac substãtialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri fateamur. Hoc aptissimè Seruatoris martyr Cyprianus aduertit. Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitã & incrementum corporibus, ideoq́ue ex consueto rerum effectu fidei nostræ adiuta infirmitas, sensibili argumento edocta est, visibilibus sacramentis inesse vitæ æternę effectum, & non tam corporali, quàm spirituali transitione Christo nos vniri: Ipse enim vita, & panis, & caro, & sanguis, idem cibus & substantia factus est ecclesiæ suæ, quam corpus suum appellat, dans ei participationem. Et nos quidem cùm caro essemus & sanguis: corrupta & infirma corporis, animæq́ue natura reformari non poteramus, neq; ad similitudinem Dei reuerti, nisi morbo inueterato imponeretur malagma conueniens, & in curatione desperatæ infirmitatis contraria remouerentur contrarijs, & similia similibus conuenirent. Ideo Hilarius ait, de veritate carnis & sanguinis Christi non est relictus ambigendi locus:

In sermone de cœna Domini.

Libr. 8. de Trinit.

nunc enim & ipsius Domini professione,& fide nostra caro eius verus est cibus,& verus sanguis eius est potus. August.etiã ait, Nos autem in specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, id est carnem & sanguinem honoramus, nec similiter comprehẽdimus has duas species, quemadmodum ante consecrationem cõprehendebamus, cũ fideliter fateamur ante consecrationẽ panem esse & vinũ quod natura formauit, post consecrationẽ verò carnẽ & sanguinẽ Christi, quod benedictio consecrauit.

Libr.7. de Trinit.

Sed quoniã moderni veritatis Antagonistę, duo dicunt, primũ caput illud Ioannis sextũ, tantum intelligendum esse de manducatione spirituali,& non reali corporali.

Tergiuersatio aduersariorum.

Alterum omnes patrum auctoritates eò tendere aiunt, vt solum asserant corpus Christi sub crustulo esse in spiritu, & ob id Seruatorem dixisse, verba quæ ego loquor spiritus & vita sunt: cui sententiæ videtur Augustinus suffragari, ait enim, quid paras dentẽ aut ventrem, crede, & manducasti.

Euasio hęreticorũ.

Ioan.6.

Super eũdem locũ.

Quantum attinet ad primum, videndũ est primò quomodo corpus Christi sit realiter sacramentaliter velatũ sub pane, quod Neoterici negant, & postea descendemus ad mãducationem. Nam hæc hæresis quantum attinet ad veritatẽ & realem præsentiã corporis Christi confutatur ex verbis Christi. Hoc est corpus meũ, quod ꝓ vobis datur, hic est sanguis meus, qui pro vobis & ꝓ multis effundetur. Tu

Dilutio ad primã hæreticorum calumniam.

Mat.26.

dicis

dicis sacramētarie, ibi esse signū corporis veri, at Christ⁹ dixit, hoc esse corpus suū non signū corporis, sed corpus & verè corpus, vtpotè id quod pro nobis traditur, seu datur, seu frangitur, quid expresſius dici potuit hęretice? pari pacto, hic est sanguis, & verus sanguis, is scilicet qui pro multis effundetur: Quis tā cæcus? Quis tam illustrē rem nō videt? Is tantū, quem ambitio superbiæ, in fraternū odium excæcauit. Ideo Origenes vetustiſsimus scriptor confirmat nostrā sententiam aduersus Iudęos, per testimoniū de vmbra & veritate: Inquit em̄, et q̄ prius ęnigmate designabantur, nūc in specie & veritate complentur. Et ideò ille qui species figurarum & ænigmatū differebat: inquit: Nolim aūt vos ignorare fratres, patres nostros oēs sub illa nube fuisse, & omnes per mare transiuisse, & omnes in Mose baptizatos esse, nube & mari: & omnes eandem escam spiritualem edisse, & omnes eundem potum spiritualem bibisse, bibebant enim ex sequente spirituali petra: petra autem erat Christus. Inquit Origenes vides quomodo legis ęnigmata absoluit Paulus, & species ęnigmatū docet, & dicit in ęnigmate, quia petra erat apud Mosen, antequā iungeretur huic nostrę Ethiopissæ. Nūc in specie, petra Christus est. Nunc enim os ad os loquitur per legē Deus, antea in ænigmate fuit baptismus in nube, & in mari, nunc autem in specie regeneratiō est in aqua & in spiritu sancto: tunc in ænigmate, erat manna cibus:

Homilia septimane super librum Numerorum.

1. Cor. 10.

Num. 9.
Exo. 13. & 14.

Ioan. 3.

Nunc autem in ſpecie caro veri Dei eſt verus cibus. Sicut ipſe dicit, caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus. Ex vnius vetuſtiſsimi ſcriptoris ſententia multa colligimus, primum illud eſt, quod illud quod prius in figura habebatur, nunc in veritate habetur, & quæ velata erant, nunc reuelata atque detecta ſpeculamur, tria enim exempla adducit, vnum de manna, qui cibus Iudæis fuerat, ſed in figura, figurabat nanque Euchariſtiam, in qua nos Chriſti carne paſcimur:in veritate, & non in figura, vt clamant Caluiniſtæ.

In annotationib. ſuper cap. ut 1. Cor. 10.

Tamen nolo hunc locum ita ſicco percurrere veſtigio, ſed plura animaduertenda duxi. Et primùm ex verſione Theodori Bezæ in ſuis annotationibus,inquit, intellige verò baptizatos omnes fuiſſe, ſed ita vt ſola ſymbola, nempe nubes & mare, fuerint omnibus promiſcuè communia, non autem res ipſa, ſed tamen ipſorum, non Dei culpa. O docta & erudita ſententia, quæ Caluinum & Caluini ſectatores explodit,& quaſſat in totum. Si enim ipſorum culpa rem ipſam conſequuti minimè ſunt, verum ipſa fruſtrati, Deus itaque ô Caluine, non eſt auctor peccati. Nec Deus hominem creauit ad interitum, ſed hominis culpa, interitus cauſſa eſt. Quam conſequutionem inter diſputãdum Theodorus Beza concesſit.

Sed ad rem vndè defluxerat oratio noſtra reuertamur. Alterum ex eodem Theodoro

Beza ex eodem loco notandum duxi. Subdit enim, eandem eſcam videlicet, atq; nos, quia eadem fuit veterum ſacramentorum & noſtrorum ſubſtantia, ſicut vel ex eo apparet, ꝙ Paulus illis noſtrorum & noſtris viciſsim illorum nomina accommodat, & hoc loco & alibi. 1.Cor.5. Philip.3. & Col. 2.

Si hic eruditus homo, intelligit per ſubſtantiam, cum inquit, veterum ſacramentorum & noſtrorum ſubſtantia eadem fuit, eandẽ fuiſſe fidem patrum antiquæ legis, & nouæ legis, optimè ſentit, quia Paulus hoc idem aſſeuerat, ita vt quem illi expectabant futurum, & in quem venturum credebant, nos adueniſſe fateamur, & in eum præſentem credamus, optimè veritati quadrat expoſitio, & idem Theodorus ſubdit: nimirum Chriſtus, ſuo quidem tempore exhibendus, ſed iam tùm pijs præſens & efficax, qui eum venturum, fide amplectebantur. Heb.11.

Si autem vult, eodem modo corpus Chriſti in manna, & pane poſt prolata verba exiſtere, à veritate (pace tanti viri dixerim) diſcedit, & toto cœlo errat.

Quod vt clarius cognoſcatur, primũ, à definitione figuræ principium faciemus. Eſt enim figura obumbratio quædam quibuſdam velaminibus quod intendit oſtendens, agè exemplo monſtrabo, vt quùm Seruator ſe vitem, diſcipulos autem ſuos appellat palmites, & quùm volẽtes dicere verbum, panem nun- Ioan. 15.

Mat.6. cupamus quotidianum, vt in oratione dominica panem nostrum superſubstantialem, & quotidianum da nobis hodie. Ita & Seruator
Ioan.6. in Euangelio: Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Hæc enim omnia aliud dicunt, & aliud innuunt.

Veritas verò eſt rei manifeſtæ demōſtratio, nullis vmbrarū imaginibus obuelatæ, ſed puris & apertis (vtq; planius eloquamur) naturalibus ſignificationibus inſinuatę, vt quùm dicitur Chriſtus natus de virgine, paſſus, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Nihil enim figuris obuelantibus adumbratur, ſed rerum veritas naturalium ſignificationibus verborum oſtēditur: neq; hic aliud licet intelligi, quàm dicitur: at in figuris non ita, nam ſubſtantialiter nec vitis Chriſt⁹, nec panis Chriſtus, nec palmites Apoſtoli, quapropter hic figura, ſurius verò veritas in narratione monſtratur, id eſt nuda & aperta ſignificatio.

1.Cor.10. Quùm autem Paulus nubem, mare, Iſraēlis filios, virgā, manna, eſum ſpiritalem, cęteraq; alia proponat: Illa noſtrorum erant typus, mare imitabatur piſcinam, ſeu lauacrum, nubes autem gratiam ſpiritus, Moſes verò ſacerdotem: virga autem crucem: Iſrael verò ſignificabat eos, qui baptizabantur: perſequentes verò Aegyptij implębant figuras dæmonum, ipſe autem Pharao erat imago diaboli, quæ omnia vnum dicunt, & aliud innuunt.

Nunc redeamus ad illa quorū cauſſa dicta ſunt

ſunt iſta, videlicet corpus & ſanguinem Dñi. Si enim nulla ſub figura myſteriũ iſtud peragitur, iam myſteriũ non ritè vocitatur, neq; enim myſteriũ appellari, in quo nihil eſt abditum, nihil à corporalibus ſenſibus remotũ, nihil aliquo velamine contectũ, at ille panis qui corpus Chriſti efficitur, aliud exterius humanis ſenſibus oſtendit, & aliud interius fideliũ mentibus clamat. Quod appoſitè Cyprianus aperit atq; inſinuat, panis itaq; hic azimus cibus verus & ſyncerus per ſpeciem & ſacramentum nos tactu ſanctificat, fide illuminat, veritate Chriſto cõformat: quod nulla ratione erat in manna. Lex enim vmbram obtinẽs futurorum, nõ expreſſam formã rerum. Ideò Irenæus inquit, aduerſus hęreſes, quãdo & mixtus calix & fractus panis percipit verbũ Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit noſtræ carnis ſubſtantia. Quomodo negant carnem capacẽ eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ et ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & membrum eius fit, quemadmodum Apoſtulus ait. Quoniã membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſsibus eius? Non de ſpiritali aliquo & inuiſibili homine differens hæc (ſpiritus enim neq; carnes, neq; oſſa habent) ſed de ea diſpoſitione quæ eſt ſecundum hominem quæ ex carnibus & neruis conſiſtit, quæ de calice, qui eſt ſanguis eius, nutritur, & de pane qui eſt corpus eius, augetur.

In ſermone de cœna.

Heb. 10.

Lib. 1.

Ephe. 5.

Et vt mannæ, & corporis Christi sub pane existentis differentia cognoscatur: cum Apo-
i.Cor. 3. stolo dicimus. Quia si cõuersus fuerit ad Dominum auferetur velamen. Ipse igitur nobis Dominus, ipse spiritus sanctus deprecandus est, vt omnem nebulam, omnemq; caliginem (quæ peccatorum sordibus concreta, visum nostri cordis obscurat) auferre dignetur: vt possimus legis eius intelligẽtiam spiritualem & mirabilem contueri, secundum eum qui
Psal. 118. dixit: reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Inquit enim Seruator, hic
Ioan. 6. est panis viuus qui de cœlo descendit, non sicut manducauerunt patres vestri manna & mortui sunt, qui manducat hunc panem viuet
Super expositionẽ huius loci cap. 30. in æternum. Inquit enim Cyrillus, post multa. Nec panis erat ex Deo, quẽ maiores Iudæorum comederunt, & mortui sunt. Nam si de cœlo, & ex Deo fuisset, liberasset à morte participantes, contrà verò corpus Christi panis de cœlo est, quia æternam comedentibus vitam largitur. Magnum certè signum, deitatis in hoc corpore habitare naturam: quoniam illa hinc donantur, quæ certam omnem naturam excedunt, atque ideò à rudioribus minus creduntur: sed ditissima illa natura summas largitur diuitias, quas Paulus quoq; admiratus,
i.Cor. 2. clamat: Non vidit oculus, non audiuit auris, non ascẽderunt in cor hominis quæ pparauit Deus diligentibus se, sed lex ista ita magna in
Heb. 10. paruis figurabat. Vmbrã eñ lex obtinens futu-

rorum

rorum bonorum, non autem ipſam expreſſam veritatem rerum. Ita vt in alimento mannæ benedictio hæc Chriſti figuraretur & futura denotaretur.

Hoc enim diſcrimen inter manna & corpus Chriſti, doctiſsimè Cyprianus martyr expreſsit, cum ait: Huius panis figura fuit manna quod in deſerto pluit, Sic vbi ad verum panem in terra promiſsionis ventum eſt, cibus ille defecit. In ſermone de cœna. Exo.16.

Poſſunt hinc orthodoxi & pij homines colligere veram corporis præſentiam in cœna ex pluribus. Primùm ex dictis Auguſtini ſuper illud, hoc eſt corpus meum. Hoc quod dicimus: quod modis omnibꝰ approbare contendimus, ſacrificium eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, viſibili elemẽtorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine, ſacramento, & re ſacramenti, id eſt corpore Chriſti. Sic & Chriſti perſona conficitur & conſtat ex Deo & homine, cùm Chriſtus ſit verus Deus, & verus homo, & poſt multa ſubdit, quod magis cõuincit aduerſarios, caro inquit, eius eſt, quam ſub forma panis opertam in ſacramento accipimus: & ſanguis eius quem ſub vini ſpecie ac ſapore potamus: Caro videlicet eius, & ſanguis ſacramentũ eſt ſanguinis: Carne & ſanguine vtroque inuiſibili, intelligibili, ſignificatur corpus Chriſti viſibile, & palpabile plenum gratia & veritate. Luc.22. in expoſitione in libro ſentẽtiarum Proſperi. Ioan.1.

Necessarium enim est vt corpus Christi nō sit eodem modo sub manna abditum, & in pane, primò quātum ad nouæ legis perfectionem. Nam sacrificia antiquæ legis hoc verum sacrificium tantum in figura continebāt. Vmbram enim lex obtinēs futurorum bonorum non ipsam expressam formam rerum. Et ideò oportuit vt multò plus haberet sacramentum nouę legis à Christo institutum quam illa antiqua sacrificia, illa itaq; continebant corpus Christi in figura & velatum. In pane est corpus Christi verum, & reale & non sub figura.

Heb. 10.

Si enim Christus quantum attinet ad veritatem corporis, esset sub vino sanguis, solum in figura, & sub pane corpus sub signo, & eodem modo fuisset sub manna, dubio procul nulla esset differentia inter figuram & figuratum, & inter vmbram & ipsam expressam formam rerum, quod apertè exploditur ab Apostolo quū inquit, lex vmbram futurorū habēs bonorū, non ipsam expressam formā rerum.

Heb. 10.

Amplius si corpus Christi solum sub signo esset in sacramento isto eximio, quemadmodum erat sub manna, Christus nòn impleſſet omnes figuras quod quàm sit impium & erroneum, ipse Seruator aperit. Non veni soluere legem aut prophetas, nō veni soluere sed adimplere, & alibi, oportet impleri illa quę scripta sunt de me in lege, in Psalmis & in prophetis, quùm Paulus dicat omnia ista quæ antiquis

Mat. 5.

Luc. vlt.

tiquis patribus acciderant in figura contigiſ- Heb.10.
ſe,& figurato cõpleatur figura, & vmbra ve-
ritate. Si itaq; ſub ſigno ibi erat corpus Chri-
ſti, in pane eſt verè realiter & ſubſtantialiter
ipſum verum,& reale corpus Chriſti. Si enim
ſecus eſſet,figura illa adhuc non eſſet impleta.
Quam veritatem optimè Damaſcenus inſi- Libr.4.de
nuauit. Corpus enim ſecundũ veritatem con- fide or-
iunctum eſt diuinitati,quod ex ſancta virgine thodoxa
corpus eſt:Non quod ipſum corpus aſſumptũ cap.14.
ex cœlo deſcenderit, ſed ꝙ ipſe panis & vinũ
trãſmutatur in corpus Chriſti. Si aũt modum Luc.1.
quæris quonã pacto fit, ſat ſit tibi audire, quo-
niã per ſpiritum ſanctum. Quemadmodũ ex
ſancta Deipara ſeipſum,& in ſeipſo dominus
carnẽ ſuſtentauit. Et nihil amplius cognoſci-
mus, q̃ quod verbum Dei verũ eſt,& efficax et
omnipotens, modus verò inſcrutabilis. Neq;
eſt hoc etiã dictu promptũ quomodò natura-
liter ꝑ comeſtionem panis, & vinum, & aqua
per potionem, in corpus & ſanguinem conce-
dentis & bibentis tranſmutatur,& nõ fit aliud
corpus præter illud quod erat prius ipſius. Sic
& propoſitionis panis vinumq; & aqua per in-
uocationem & aduentũ ſpiritus ſancti ſuper-
naturaliter trãſmutatur in corpus & ſanguinẽ
Chriſti,& nõ ſunt duo, ſed vnum & idem. Ex
qua ſententia ſolùm veram realem corporis
præſentiã in ſacramento videmus ab antiquiſ-
ſimo hoc patre inſinuari, qui floruit tempo-
ribus Theodoſij Imperatoris.

Neceſ-

Necessarium etiã est, confiteri corpus Christi verè & realiter esse sub pane, & sanguinem esse sub vino, cum quoniam Christus est Mediator melioris testamenti quàm Moses, ita vt sub Mose tantum fuerint vmbræ & in Christo, ipsam rerum formam habeamus expressam. Ideò & Apostolus concludit, omnia in figura contingebant illis. Et ideò, hoc sacramentum perfectiuum est omnium sacramentorum, & ita à Dionysio martyre appellatur omnium sanctificationum consummatio.

Heb. 10. Cap. 4. de eccle. Hierarchia.

Necessarium etiam est, vt corpus Christi verè, realiter & non sub signo sit in sacramento, ad detegendam propensam Christi charitatem erga genus humanum, propter quã, carnem humanam ipsum Dei verbum assumpsit. Est enim amicorum amicitiæq; proprium, & peculiare cum amicis maximè viuere: Seruator etsi à nostro aspectu corporis præsentiam subduxerit ad tempus: tamen reliquit illam abditam & velatam sub speciebus panis & vini. Ideò Ambrosius inquit. Meus panis est vsitatus, sed panis iste, panis est ante verba sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus, quomodo potest q panis est, corpus esse Christi consecratione? Consecratio igitur quibus verbis est & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur: oratione petitur pro populo, pro Regibus, vbi verò venitur & conficitur venerabi-

Ioan. 3. Libro Ethicorum nono. Libr. 43. de sacramẽtis cap. 4.

rabile ſacramentũ, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos,ſed ſermonibus vtitur Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc cõficit ſacramentum. Quis ſermo Chriſti? Nempe is quo facta ſunt omnia. Iuſsit Dominus, & factum eſt cœlum, iuſſit Dominus, & facta eſt terra, iuſsit Dominus,& facta ſunt maria, iuſsit Dominus,& omnis creatura generata eſt, vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti? Si ergo tanta vis eſt in ſermone dñi Ieſu, vt inciperent eſſe, quę non erant: quantò magis operatorius eſt, vt ſint quę non erant, ſed in aliud conuertantur. Gen. 1.

Neceſſarium enim eſt, vt corpus Chriſti verè realiter & ſubſtantialiter, ſit ſub panis & vini ſpeciebus, ob noſtræ fidei perfectionem. Eſt enim fides noſtra non tantum de diuinitate ipſius Chriſti, ſed etiam de humanitate, inquit enim Seruator, creditis in Deum & in me credite. Et quoniam fides eſt rerum inuiſibilium, quemadmodum diuinitatem ſuam nobis Chriſtus exhibet inuiſibiliter, ita in hoc ſacramento carnem ſuam nobis exhibet inuiſibili modo, ideo Gregorius Niſſenus inquit. Exponens rationem illius cibi mannæ in deſerto dati patrib9, ſub vnius figura de Euchariſtia diſſerit. Is igitur mirabilis ſine agricultura panis, varietate qualitatis ad ſuſcipientium habitudinem virtutem ſuam commutat. Nam quùm ſit panis, ignorat labefieri. Sic in carnem vertitur: nouit olus imitari. Quicquid denique conueniens & expetitum ſit, Ioan. 14. In libro de myſtica vita Moſis.

(vt

In quodã sermone de cœna Domini. (vt vult Apostolus) qui hanc nobis mensam præparauit, in id commutatur, idque etiam fatetur & Gregorius Emissenus. Magnitudinem cœlestium, merito cœlestis cõfirmat auctoritas, quia caro mea verè est cibus, & san-
Ioan.6. guis meus verè est potus. Recedat ergo omnis infidelitatis ambitio, quandoquidẽ qui dator est muneris, ipse est testis veritatis. Nã visibilis sacerdos, visibiles creaturas in substantiam sui corporis & sanguinis sui, verbi sui secreta potestate cõuertit. Accipite & bibite, hic est sanguis & corpus meũ. Ergo sicut ad initiũ præcipientis domini repentè ex nihilo substiterunt excelsa cœlorũ, profunda fluctuũ, vasta terrarũ, pari potentia, in spiritualibus sacramẽtis, verbi pręcipit virtus, & rei seruit effectus: quibus verbis nescio quid apertius poterat dici, circa ipsam corporis & sanguinis veritatem.

Cauillus Heb.10. Sed adhuc garriunt aduersarij, eandem escam inquit Apostolus, & eundem potum manducauerunt patres sicuti & nos, ergo sicuti illis in signo dabatur corpus sub manna, & sanguis sub aqua, ita & nobis pariter corpus sub pane & sanguis sub vino datur in signo, & figura, & non in re.

Quàm erronea & distorta sit consequutio abundè ex iã dictis apparet, nam manna figu-
Psal.77. rauit hunc panem. Et ideo quia Iudæi hoc nó intellexerũt mortui sunt. Adhuc erant escę in ore ipsorum & ira Dei descendit super eos, &
Nu.11. alibi mortui sunt in sepulchris cõcupiscentię.

Hic

Hic autem est panis viuus qui de cœlo descen dit. Ideo Cyrillus. Non dubites an hoc verum sit, sed potius suscipe verba Seruatoris in fide, quia quùm sit veritas nō mentitur, quod eruditè Apostolus demonstrauit. Poculū benedictionis cui communicamus, nónne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nónne cōmunio corporis Christi est? Et ideo dicitur panis verus, quia opponitur vmbratili & figuratiuo. Paratum panē de cœlis pa rasti illis sine labore habentē in se omne delectamentum, & omnem saporem suauitatis.

Ioan. 6.
In expositione cap. 30.
1. Cor. 10.
Cap. 16.

Exterius quidem panis est, forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur. At interius longè aliud, multoque preciosius, multoque excellentius intimatur, quia cœleste, quia diuinum, corpus scilicet Christi est, quod nō sensibus carnis, sed animi fidelis con tuitu aspicitur, vinum quoq; quod Seruatoris verbo fit sanguis, aliud superficietenus ostendit, aliud interius cōtinet. Quid enim aliud in superficie, quàm substātia vini cōspicitur? Gusta, vinum sapit: Adora, vinū redolet, inspice, vini color intuetur. At si interius cōsideres, latent res eximię, iam nō liquor vini, sed liquor, liquor sanguinis Christi est. Sic ein ipse dicit. Accipite & comedite, hoc est corpus meum ꝙ pro vobis tradetur, & hic est sanguis meus.

Mat. 26.

Quū ergo Paulus dicit eandē escam, verum est de esca spiritali, & de potu spiritali, nō autem de corporali manducatione, sed tantū de

Confutatio aduersariorum.

illa

illa quæ fit per fidem, & ideò manna figurabat tantum, sed esca nostra verè realiter continet ipsum Christum, quem illa figurabat. Et ideò corpus Christi sub manna latitabat in signo, &
Ioan.6. in pane est in veritate. Hic ergo, & nō manna, est panis viuus qui de cœlo descendit. Nam quæ ad breue sufficiunt non merentur appellari cœlestia, & de cœlo esse: sed manna solum ad breue tempus datum est, quod etiā famem non extinguebat, quin mox eadem rediret. Nam patres comederunt manna & mortui sunt, certissimum est, si ex Deo fuisset, & de cœlo, liberasset à morte participantes, eò manducabant manna, vt mortem fugerent, & vitam seruarent, & tamen mortui sunt. Non est ergo manna panis de cœlo, hoc est cœlestis naturæ, cœlestes & spiritales faciens sui participes, sed terrenus & temporarius erat cibus ex aëre deplutus, parum efficax, & nihil præstans, quod æternum duret.

Ne autem illa vox verum panem, alicui ob ęquiuocationem, sit erroris occasio. Animaduertendū est, hanc vocem verum, quandoaccipi, vt distinguitur contra illud quod est fictitium, & hoc modo non accipitur, cum
Ioan.6. Seruator inquit, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Aliquando autem talis nota sumitur vt distincta est, cōtra illud quod est figuratiuum, & ita manna non fuit panis verus, sed typicus, corpus Christi figurans. Et ideo manna quùm esset huius panis figura, nō con-

contulit gratiam sed prefigurauit: gratia & veritas per Iesum Christum facta sunt. Ioan. 1.

Quantum ad alteram dubitationem attinet, quùm inquiunt caro non prodest quicquam, spiritus est qui viuificat, verba quæ ego loquor spiritus & vita sunt. Multa dicenda occurrũt, & primicerium in acie aduersus hæreticos, martyrem Cyprianum adduco. Inquit enim, orta fuerat aliquãdo, sicut in euangelio Ioannis legitur, de nouitate verbi huius quæstio: & ad mysterij huius doctrinam obstupuerãt auditores, quùm diceret Dominus. Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quod quidam qui non credebant, nec poterant intelligere abierunt retrò: quia horrendum eis & nepharium videbatur vesci carne humana, existimantes hoc eo modo dici, vt carnem eius vel elixam, vel assam, sectamq; membratim edere docerẽtur, cum illius personæ caro si in frusta partiretur, non omni humano generi posset sufficere: quia semel cõsumpta, videretur interijsse religio, cui nequaquàm vlterius victima superesset.

Confutatio aduersariorum. Ioan. 6.

In sermone de cœna.

Ioan. 6.

Sed in huiusmodi cogitationib⁹ caro & sanguis non prodest quicquam: (quia sicut ipse magister exposuit) verba hæc sunt spiritus & vita: Nec carnalis sensus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat nisi fides accedat. Panis est esca, sanguis vita, corpus ecclesia, corpus propter membrorum in vnum conue- Ioan. 6.

nientiam: panis propter nutrimenti congruentiam: ſanguis propter viuificationis efficientiam, propter aſſumptæ humanitatis proprie-
Super Ioannẽ cap. 23. tatem ſpiritus ergo & vita ſunt. Hoc enim appoſitè & doctiſsimè Cyrillus etiam expreſſit. Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam. Nõ imperitè, inquit, omninò viuificam carnem eſſe negatis. Nam ſi ſola intelligitur, nihil prorſus viuificare poteſt, quippe q̃ viuificãte indigeat: quùm verò incarnationis myſteriũ laudabili cura ſcrutati fueritis, & habitantẽ in carne cognoueritis: quãuis nihil penitus per ſeipſam caro poſsit, viuificã tamẽ eſſe factã credetis, niſi etiã ſpiritum ſanctum non
Ioan. 1. poſſe viuificare contẽdatis. Nam quoniã cum viuificante verbo caro cõiuncta eſt, tota eſt effecta viuifica. Non enim ad corruptibilem ſuã naturam iunctum Dei verbũ detraxit, ſed ipſa ad melioris virtutem eleuata eſt: quamuis ergo natura carnis vt caro eſt, viuificare nequeat, facit tamen hoc, quia totam verbi operationem ſuſcepit. Corpus enim eſt, non cuiuſuis hominis, cuius caro prodeſſe quicquã poteſt, (nõ enim Pauli, aut Petri, aut cæterorum,) ſed
Col. 2. ipſius vitę & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti corpus, in quo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, facere hoc poteſt. Nam ſi mel quũ naturaliter dulce ſit, ea dulcia facit, quibus immiſcetur: nónne ſtultũ erit viuificam
Ioan. 4. verbi naturam putare non dediſſe homini in quo inhabitat viuificandi virtutem?

Quas

Quas ob res caro quidem cęterorũ omnium quicquam verè non prodeſt, caro autem ipſa Chriſti, quia in ipſa vnigenitus Dei filius eſt ſola viuificare poteſt. Spiritũ verò ſeipſum appellat, quoniã Deus ſpiritus eſt, & vt ait Paulus. Dominus ſpiritus eſt. Nec iſta dicimus, quiã ſpiritum ſanctũ in propria perſona ſubſiſtere non putemus, ſed quia ſicut factus homo ſeipſum filiũ hominis appellat, ſic à proprio ſpiritu, ſpiritum ſe nominat. Nõ eſt alienus ab eo ſpiritus ſuus. Ioan.3. 2.Cor.3.

Ideò quidã appoſitè iſta connectunt. Sicut corpus ſine anima mortuũ eſt, & cũ anima viuit, intelligit, mouetur, & eſt. Ita caro mea ex ſe ſemota diuinitate non viuificat, ita vt ſicut ſpiritus corpori eſt vita, ita & humanitas mea. & caro deitatis eſt inſtrumentum. 1.Iacob.3.

Vel verba quæ locutus ſum vobis de corpore & ſanguine ſpiritus & vita ſunt. Sunt enim referenda ad ipſum Chriſti corpus, ſed ipſum CHRISTI corpus ſpiritualiter eſt contemplandum, nam modus quo eſt in ſacramento limites totius naturæ creatæ excellit. Litera inquit Apoſtolus occidit, ſpiritus eſt qui viuificat. Quemadmodum & ſcientia ſine charitate non prodeſt, ſed obeſt, cum inflet, non quia in ſe mala eſt, ſed propter abuſum habentis, ita & caro Chriſti ſine Spiritus ſancti gratia non prodeſt quicquam: imò communicantem damnationi facit obnoxium. Sacramẽtalis enim ſumptio obeſt, & 1.Cor.3.

1.Cor.11. non prodeſt ſine ſpirituali, qui enim inquit Apoſtolus, manducat & bibit indignè iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini, de qua re longiori ſermone dicturi ſumus inferius.

Verba quæ locutus ſum vobis de corpore & ſanguine meo ſpiritus & vita ſunt, exigunt enim gratiam ſpiritalem, quæ virtute ſua purget intellectum ad intelligendum, & mentem
Ioan.6. ad conſiderandum. Et ideò ſunt quidam, in-
Iſa.7. quit Seruator, qui nō intelligunt myſterium, quia non credunt, & niſi credideritis, non intelligetis. Et ideò caro non prodeſt quicquã, qui enim carnis intuitu iſta perpenderit, caro non prodeſt quicquam, imò obeſt.

Dubium. Sed ambiget quiſpiam, ſuprà Seruator di-
Ioan.6. xerat, qui manducat meam carnem habet vitam æternam. Et ibidem. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quomodo ergo nunc dicit, caro non prodeſt quicquam.

In expoſitione capitis ſexti cap.24. Diſertiſsimè Cyrillus huic rei occurrit, totum corpus ſuum viuifica ſpiritus virtute plenum eſſe oſtendẽs, ſpiritum enim hic ipſam carnẽ nuncupauit: non quia naturã carnis amiſerit, & in ſpiritũ mutata ſit, ſed quia ſummè cũ eo coniuncta, totã viuificandi vim hauſit:
1.Cor.3. nec turbari propter hoc decet. Nam qui Domino cõglutinatur, vnus cum eo ſpiritus eſt. Quomodo igitur caro ſua cum eo vna non

appel-

appellabitur. Huiuſmodi ergo eſt quod dicitur: putatis, inquit, me dixiſſe, viuificum natura ſui terreſtre hoc eſſe corpus. Ego verò de ſpiritu & de vita æterna locutus ſum: non enim natura carnis viuificũ reddit ſpiritum, ſed ſpiritus virtus viuificã facit carnem, verba ergo quę vobis locutus ſum, ſpiritus, id eſt, ſpiritalia, & de ſpiritu & vita, id eſt, de viuifica & naturali vita ſunt. Sed quod modo diximus, id iterum repetere non erit inutile. Natura carnis ipſa per ſe viuificare non poteſt: quid enim maius natura deitatis haberet? Nec ſola in Chriſto eſſe intelligitur, ſed habet filium Dei ſibi coniunctum, qui conſubſtantialiter vita eſt: quando igitur viuificam Chriſtus ipſam appellat, non ita illi, vt ſibi, ſiue proprio ſpiritui vim viuificandi attribuit. Quam rem Theodorus Beza ex Cyrillo inſinuauit, quùm inquit. Spiritus enim vim illam declarat à diuinitate manantẽ, quæ facit vt caro Chriſti, quæ alioqui per ſe nihil eſſet quàm caro, & in ſe viuat, & in multis ſit viuifica. Quod Cyrillus iam longè ante inſinuauerat, inquit enim, nam propter ſeipſum ſpiritus viuificat, ad cuius virtutẽ caro conſcendit: quomodo autem id fiat, nec mẽte intelligere, nec lingua dicere poſſumus: ſed ſilentio, atque firma fide ſuſcipimus. In annotationib. ſuper Ioan. cap. 6.

Spiritum autem filium quoque à ſcripturis nominari manifeſtũ eſt. Scribit enim Euangeliſta de Chriſto. Hic eſt qui venit per aquã Ioan. 5.

& ſpiritum Ieſus Chriſtus: nō in aqua ſolum, ſed in aqua & ſpiritu. Spiritus enim eſt, qui teſtimonium perhibet, quia ſpiritus eſt veritas. Ecce ſpiritus veritas nuncupatur. Quùm Chriſtus apertè dicat: Ego ſum veritas. Paul⁹ quoque inquit: Vos non eſtis in carne, ſed in ſpiritu Dei: ſiquidē ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis autē ſpiritū Chriſti non habet, hic non eſt eius. Si verò Chriſtus in nobis, corpus quidem mortuum propter peccatum, ſpiritus aūt vita eſt propter iuſtitiam. Ecce rurſus, quùm ſpiritum Dei habitare in nobis dixerit, ipſum Chriſtum in nobis eſſe affirmauit. Non enim ſeparatur à filio ſpiritus eius, cuius ſubſtantia eſt, quamuis propria hypoſtaſi ſubſiſtere verè credatur, idcirco indifferenter modò ſpiritum, modò ſeipſum nominat.

Ioan.14.

Rom.8.

Non exiſtimabā me in tam latum & patentem campum hac in re ingreſſum iri, verùm, et res ipſa, & tractatio exigit, & noſtratiū impietas, & pręſertim Itali illius Petri Martyris Vermilij ad hoc me cogit, incitat atque impellit: qui cæcus hac phanatica Beringarij cæcitate, quam paſsim hi moderni dogmatiſtæ ſectantur, an ſibi vir iſte alioquin multæ lectionis, & ſuffurator ſcriptorū Diui Thomæ, nō in integris dumtaxat quinternionibus, ſed integris & abſolutis quæſtionibus, vt colligi poteſt ex quæſtion[illegible]lla de cauſſa peccati ſuper Samuelem ex ipſius ſcriptis, quæ ex quæſtionibus diui Thomæ diſputatis, & in prima

parte ſummę, & in prima ſecundæ ad vnguem tranſcripta eſt. An inquam, ſibi conſtet, aliorum nunc cenſuræ, ſemoto odio, & liuore, me & mea omnia libentiſsimè pro veritate cognoſcenda, & pro Seruatoris gloria ſubijcio, ſubmitto & ſuppono.

Et vt noſtra diſputandi ratio cum Martyre omnibus ſit perſpicua. Omiſsis friuolis rationib⁹ quas adducit aduerſus ſcripta cuiuſdã Stephani Cardineri quondam, vt ipſe fatetur Vintonienſis epiſcopi. Sub nomine M. Antonij Conſtantij, quem Martyr iocosè inconſtantem appellat, qui qualiſcunque is fuerit nihil mihi commune cum ipſo, ſed ſolum cum Martyre agam ex folio *658*.

Inquit, obijciebant maximè, hoc eſt corpus meum, & poſt pauca ſubdit, in folio *639*. tantum hoc ſupereſt, vt oſtendamus talem phraſim, & tropicam locutionem frequentatam eſſe in ſacris literis, quod facile erit. Scriptum legimus, ſemen eſt verbum Dei. Petra erat Chriſtus. Quamuis ſcio nonnullos cauillari, & hic nullum velle tropum eſſe, eò quòd contraxerit ſermonem ad petram ſpiritualem, quam verè & non tropicè aiunt Chriſtum eſſe. Attamen pro nobis facit Auguſtinus & Origenes, qui apertè dicunt petram illam externam ſignificaſſe Chriſtum.

Martyris obiectio.

Mar. 4.

1. Cor. 10.

O ſtolida cõſecutio, petra illa externa cum Auguſtino & Origene, ſignificabat Chriſtũ, ergo

Confutatio Martyris.

ergo Christus nō erat propriè & aptiſsimè ſemoto omni ſymbolo petra ſpiritualis: vnde deducitur hæc conſecutio falſiſsima & vaniſſima Martyr. Ideò idem tuus perduellio Auguſtinus inquit, ita vt ſemotis ſymbolis, eſſe fateamur realiter, ſubſtantialiter, & verè ſub pane, abditum & velatum corpus Chriſti, & à nobis ſumi, & ipſa veritas Apoſtolos & nos inſtruxit. Quando aduerſus Capernaitas, non per partes deſcriptum (vt putauerūt illi diſcipuli) qui retroierunt. Sed integrum, nec viſibiliter in forma humana, ſed inuiſibiliter ſub forma panis & vini, corpus & ſanguinem nobis traderet. Inquit enim Auguſtinus: Ipſum quidem & non ipſum corpus, quod videbatur, manducabatur, ipſum inuiſibiliter, non ipſum viſibiliter, & ſubdit, & ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, neceſſe eſt tamen inuiſibiliter intelligi. Ita enim intelligendum eſt corpus Chriſti eſſe in vno loco, ſcilicet viſibiliter in forma humana: veritas tamē eius id eſt, diuinitas, vbique eſt: veritas etiam eius id eſt, verum corpus in omni altari eſt vbicunque celebratur, ſed ſatis eſt hanc rem ita ſicco tranſijſſe veſtigio, in ſecunda parte aduerſus portenta Brentij oſcitantius examinabitur.

In epiſtola ad Hieronymū et in libro ſententiarum Proſperi.

Cauillus aduerſariorum.

Quùm autē Martyr dicit, quùm verè tropicè aiunt eſſe petram, eò quod Paulus ad petram ſpiritualem alluſerit.

Confutatio aduerſariorum.

Pudet reſpondere, ſi enim cum Origine & Auguſtino falſi fuerimus, quod Martyr fatetur,

tetur, apertè istos patres asseuerare petram illam externam significasse Christum.

Non negabunt peritiores Martyr & eruditiores, signum & signatum relata esse, quorum natura ea est, vt ad reciprocationem dicantur, ita vt signum sit rei signatæ signum. Si petra illa externa signum erat Christi, Christus itaque petra signata erat, nō creata illa petra & terrena, sed ingenita & spiritualis, de qua Paulus ex fœdere antiquo clamat. Ecce pono in Sion lapidem offendiculi, & petram offensionis: & quisquis credit in eum non pudefiet, & Petrus inquit. Ad quem accedentes, qui est lapis viuus ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus ac preciosus, & alibi clamat Apostolus. Superstructi super fundamentum Apostolorum ac prophetarū, cuius imus angularis lapis ipse est Christus. Non iam carissime Martyr, Seruator est lapis ille materialis, qui sine manibus è monte præscisus est, ergo verè est lapis spiritualis, idque idem fatemur, & de petra è qua manarunt aquæ.

Ex prædicamentis capite de ad aliquid idem libr. 5. Metha. capite de relatione.

Rom. 9.

Isa. 28.

1. Pet. 2.

Ephe. 2.

Exo. 17.

HincTheodorus Beza inquit, Christus est instar ianuæ, per quam itur ad patrem, nō iam spiritualis, sed materialis, itaque verè Seruator est ianua spiritualis & petra spiritualis secluso omni tropo.

In annotationibus.

Nec possum non mirari huius temporis callidissimos homines, q adeò allegorias detestātur, ita vt pro nihilo sint apud eos omnes

ferè ipſarum authores, & pro nihilo ducant eas: tamen quùm ipſi occurrere non poſſunt aliorum rationibus, omnia cōfundunt figuris, inuoluunt tropis, & ſeponunt quiſquilijs.

Cauillus aduerſariorum.

Subdit enim Martyr, ſed ne videamur ſubterfugere quod obijcitur, dicimus, ſi volūt accipere petrā ſpiritualem, ſumant hic etiam panē ſpiritualem, & allegoricum ac de illo fatebimur, quod verè & abſq; tropo eſt Chriſtus.

Confutatio aduerſariorum.

Non credo Martyris amicos laturos ęgrè, ſi dixero ipſum in hac reſponſione cæcutijſſe, arbitratus enim eſt ſereniſsimum diem caliginoſam eſſe noctem, & mirum eſt profectò, quomodo tam ſolers ingenij acies, Apoſtoli ſententiam non intellexerit. Non enim dixit Apoſtolus CHRISTVM petram corpoream eſſe, ſed ſpiritualem, ſic enim ait: bibebant autem de conſequenti eos petra ſpirituali, petra autem erat Chriſtus. Nec quùm infert Martyr ſumant hic etiam panem ſpiritualem & allegoricum, & de illo fatebimur, quòd verè & abſq; tropo Chriſtus eſt, benè dicit, quia Chriſtus inquit, hic eſt panis viuus qui de cœlo deſcendit.

1.Cor.10.

Amplius ſi ſeruator eſſet panis allegoricus expectandus eſſet ab alio huius allegoriæ intellectus, quod falſiſsimum eſſet.

Vlterius Chryſoſtomus quem falſo Martyr pro ſe citat folio 643. cum inquit, nunc ſupereſt &c. oportet conſiderare illud quòd appoſitè aduertit Eraſmus, ſub titnlo Chryſo-

ſtomi

stomi duas haberi expositiones venales, auctore incerto, vna, quæ est hęretica ea Arrianismo redolet, negat siquidẽ filij diuinitatem, & hac Martyr ad tegendum ipsius impietatem vtitur, quam vt hæreticã & Chrysostomo indignam in totum negamus, inquit ẽm Chrysostomus qùum de petra sermonẽ habet. Petra autem erat Christus. Non enim ipsius petræ natura aqua scaturiebat, siquidem etiã antea scaturijsset: sed alia quædam spiritualis petra omnia operata est, hoc ęst Christus, qui præsens vbique omnia fecit miracula, ideo dixit Apostolus consequenti. Tamen nunquam in aliquo patre Martyr inueniet panẽ viuum Christum, dici allegoricũ talemq; appellari. Ideò Theophilactus inqt, de esca quidẽ cum meminisset, nulla pręterea indiguit assertiõe, quæ per se satis pateret, nec quicquã esset à sui natura immutata. In pòtu verò q̃a eius dũtaxat subministrãdi mod⁹ immutaretur, assertionibus vtitur, dicens nequaq̃ lapidis ipsius naturã potũ hunc p̃stitisse, qui etsi aliàs scaturijsse cõceditur, spiritalis tñ alius lapis id omne operabatur. i. Christus. Consequenti aũt eo dixit, vt ostẽderet Christũ hunc illis vbiq; adfuisse, & miracula huiusmodi factitasse oĩa. Ecce quomodo Christ⁹ est petra spiritualis. Nunquam tamẽ in scriptura reperiemus Christũ esse panẽ allegoricum. Inquit enim Seruator, caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, ꝙ si caro Seruatoris in Eucharistia tantum est signi-

Super expositionẽ 1. Cor. 10.

Ioan. 6.

Mar. 4. ſignificatiuè, vt fatetur Martyr, & eſſet idem dicendi tropus, ſicuti ille, ſemen eſt verbum Dei. Euchariſtia non eſt verè cibus, ſed ſignificatiuè aut per quandam imaginem eſſet cibus, & ita inter ſignum & rem ſignatam, & inter vmbram & veritatem, & inter figurã & figuratum nulla eſſet differentia.

Sed Martyr noſtras concedet cõſequutiones, nam in expoſitione epiſtolæ ad Corinthios folio 125. inquit. Quomodo autem veteres eadem ſacramenta nobiſcum habuerint, inde videre poteſt, quia Paulus eis noſtra tribuit nomina, baptiſmum & Euchariſtiam, & noſtris viciſsim quæ Iudæorum fuerunt applicat, quandoquidem nos appellat circunciſos circunciſione non manu facta. Atque ſuprà in hac eadem epiſtola, paſcha noſtrum ait, imolatum eſſe, atque ideò monet vt in azimis ſynceritatis & veritatis ambulemus.

Confutatio hęreticorum. Si ita ſentias, facies tibi cœlum nouũ & terram nouam, ac reliqua omnia. Non enim vides Paulum dicentem legem vmbram futurorum habere non ipſam expreſſam rerum formam. Non enim ſequitur Martyr. Habent eadem nomina antiquæ & nouæ legis ſacramenta, ergo æqua eſt eorum conditio? Nam illa, vt conſpicuum eſt in Apoſtolo, erant egena & infirma elementa, quæ non poſſunt accedentem perfectum facere: & ideo gratiam nõ conferebant, vt appoſitè Concilium Florentinũ quod pro te adducis definiuit.

Nam

Nam clarum eſt legem legaliaq; cuncta non potuiſſe accedentem perfectum facere. Nihil enim ſanctificauit lex, ſed adſcita ſpes melior per quam appropinquamus Deo: & ideò Apoſtolus non aſſerit nos circunciſos circunciſione manufacta ſed ſpiritali, & ideò quãtum attinet ad paſcha, eſt nomen vetus, eſt enim phaſe id eſt, tranſitus Domini, tamen vt dictum eſt, quantum ad fidem ſpectat, eadem & patruum antiqui fœderis, & noui eſt, quem enim illi venturum expectabant, nos iam veniſſe teſtamur, tamen nõ æqua erat ſacramentorum ratio vt Martyr ſomniauit, ideò Ambroſius inquit, manna habuiſſe figuram myſterij, quod nunc nos percipimus in Domini commemorationem. Heb.7. Exo.12. Heb.11. In expoſitione epiſtolæ 1. ad Cor.10.

Sed ſubdit Martyr in epiſtola ad Corinthios folio 127. vbi pulchrè admonet, vt nos modo in Euchariſtia commemoramus Domini mortem pręteritam: ita in manna & alijs ſacrificijs veterum eadem adumbrabantur futura. Cauillus aduerſariorum.

Nec orthodoxi Martyr hoc negant. Nam ipſe Seruator dicit. Hæc quotieſcunque ſumitis in mei commemorationem ſumitis. Sed illud quod negamus hoc eſt, eandem eſſe mannæ & Euchariſtiæ rationem. Nam manna erat vmbra & figura, Euchariſtia eſt ipſa res. Ideò Theophilactus latinitate ab Oecolampadio donatus ſuper illud. Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. Confutatio aduerſariorum. Theo.Ioan.6.

Porrò

Porrò inquit, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. Porrò poteſtatem ſuam indicans, quòd non vt ſeruus minor patre crucifigendus ſit, ſed voluntariè inquit: Ego dabo carnem meam pro mundi vita. Nam quamuis & à patre dicatur traditus eſſe, attamen & ſe
Iſa.53. ipſum tradidiſſe dicitur. Oblatus eſt quia ipſe voluit. Et illud quidem eſt, vt diſcamus eius cum patre concordiam: Hoc eſt vt liberam filij voluntatem non ignoremus. Attende autem quòd panis qui à nobis in myſterijs manducatur, non eſt tantum figuratiò quædã carnis Domini, ſed caro mea eſt.

Cauillus hæreticorum. Diuerticulum hæreticorũ. Videns autẽ Martyr, ſe Theophilacto occurrere non poſſe, imò veritate ipſa ſuperatus nõ valens veritati iſti occurrere, ad cõuitia diuertit, vt hęreticorum mos eſt. Inquit enim in ſuo diplomate de Euchariſtia folio 647. ipſum Theophilactum incidiſſe in mala tempora, qùum forte inciderit ſub Nicolao Pontifice Romano, & ſub Lanfrãco & Beringario. Subdit deinde fuit homo nõ magni iudicij, vt patere poteſt ex ipſius interpretatione 3. cap. Ioannis, vbi taxat nominatim latinorum eccleſiam de proceſsione ſpiritus ſancti, quòd ſit à patre tantum.

Confutatio aduerſariorum. Sciant cæteri Theophilactum quantũ attinet ad tempora, ipſum nõ inſeruijſſe tempori, ſed veritati, nam Cyrillus qui pręceſsit Theo-
Ioan.6. philactũ inquit, habet enim hæc caro Dei verbum, quod naturaliter vita eſt, propterea dicit:

cit: quia ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ego enim dixit (id est corpus meũ quod comedetur) resuscitabo eũ in nouissimo die. Nó dixit Martyr, Cyrillus, symbolũ mei corporis, vt tu sæpenumerò fateris, sed corp⁹ meum, & ideò subdit. Ego inquit, qui homo factus sum, per meã carnem in nouissimo die comedentes resuscitabo. Hoc etiam & Augustinus fatetur, in specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, id est carnem & sanguinẽ honoramus, nec similiter comprehendimus has duas species, sicut antè consecrationem prendebamus, cũ fideliter fateamur ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formauit: post consecrationem verò carnem Christi & sanguinem, quòd benedictio consecrauit. In libro de doctrina Christiana.

Fatetur hoc idẽ Cyrillus. Sanctũ verò Christi corpus, ad immortalitatem & vitã ęternam nutriens cibus est: & subdit post pauca. Quid igitur inde lucrati sunt, qui mortui fuerunt? nó erat igitur potus ille verus, sed verus potus est sanguis Christi, quo radicitus mors euertitur atq; destruitur. Nó enim hominis simpliciter sanguis est, sed eius qui naturali vitæ coniunctus, vita effectus est. Propterea corpus & membra Christi sumus, quia per hanc benedictionem mysterii ipsum filiũ Dei suscipimus. Super Ioannis caput sextũ 17. Cyrilli.

Sed Martyr q in frontispicio sui diplomatis inqt, defẽsio doctrinę veteris & apostolicę de sacrosancto eucharistię sacramẽto eodẽ modo Tergiuersatio aduersariorum.

omnes

omnes patrum auctoritates interpretatur, de spirituali manducatione quæ fit per fidem,& non per os.

Confutatio aduersariorum. Verùm quàm insulsa sit ea solutio, sapientium & præsertim eorum sit iudicium qui seposito liuore iudicent. Amor enim odium,& proprium commodum faciunt sæpè iudicem non cognoscere verum, imò ignorare seipsum. Si enim solum loqueretur Seruator de manducatione quæ fit per fidem & modo inuisibili, satis esset auditus, vt Apostolus clamat, fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei,& non dixisset, Accipite & comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, corpus siquidem Christi fide apprehensum nõ comeditur, sed per fidem seclusa corporali acceptione sumitur, ideò Theophilactus inquit super illud, panis quem ego dabo, caro mea est. Non dixit figura carnis meæ.

Libro primo Rhetoricorũ ad Alex.

Rom. 10.

Ioan. 6.

Super expositionẽ Ioan. 3.

Quantum autem ad eam partem attinet, de errore processionis spiritus sancti, dum asserit spiritum sanctum à solo patre procedere, errauit & excessit in hoc, quia nondum definitum erat oppositum, sed quid istud ad rem.

Etsi Theophilactus ea ratione magni iudicij non est censendus, minoris iudicij censendus erit Martyr, qui parũ sui compos, imò nihil pensi ducens, sibi non constat. Nam super Samuelem asserit Petrum nunquàm fuisse Romæ, in expositione autem epistolæ ad Romanos folio 17. damnat sententiam Chrisostomi

Martyris inconstantia.

ſtomi quam tanti exiſtimat in materia de cœna, inquit enim, Hæc ego dum mecum repeto, videor mihi deprehendere non conſtitiſſe Chryſoſtomo, Romanos per Petrum Apoſtolum primùm fuiſſe ad Chriſtum conuerſos, priuſquam Paulus eò conceſsiſſet. Nam facilè fuiſſet reſpondere: Non erat prorſus à Deo deſerta Romana ciuitas, dum Paulus alibi eſſet occupatus: quoniam Petrus ibi euangelizabat.

Sed ad rem ipſam, vnde noſtra effluxerat oratio reuertamur, & veritatem aliundè muniamus, ait enim Theodoretus. Sacram illam & ex omni parte ſanctam noctem in memoriam reuocauit, in qua & typico paſchati finē impoſuit, & verum typi archetypum oſtēdit, & ſalutaris ſacramenti portas aperuit, & nōn ſolum vndecim Apoſtolis, ſed etiā Iudæ proditori precioſum corpus & ſanguinem impertiuit, dicens hoc eſt corpus meum & non ſignum, ſeu figura corporis mei. Quod luculenter etiam Auguſtinus inſinuauit, ex quàm plurimis, quæ multum noſtro fauent inſtituto, vnum dumtxat dicam, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, ſic dicit. Ad vtrunque autem reſpondet quod ait æternam. Non ita eſt in hac eſca quam ſuſtentandæ huius corporis vitæ cauſſa ſumimus. Nam qui eam nō ſumpſerit, non viuet, nec tamen qui eam ſumpſerit, viuet. Fieri enim poteſt, vt ſenio vel morbo

In expoſitione epiſtolæ 1. ad Cor. 11.

Mat. 26.

Contra Caluinū. Super caput Ioan. 6. tractatu 16.

vel aliquo casu plurimi & qui eam sumpse- rint moriantur. In hoc verò cibo & potu, id est, corpore & sanguine Domini, non ita est. Nam & qui eam non sumit non habet vitam æternam, & qui eam sumit, habet vtique & vitam hanc æternam. Qui Augustinus asserit ibi esse verum corpus & sanguinem Christi.

Cauillus aduersariorum in epist. 1. ad Cor. 10.

Sed Martyr inquit, folio 128. Paulus rectè dixit, petra erat Christus, ex qua sententia colligitur, in sacramentis necessariò aliquam esse coniunctionem rerum significatarũ cum symbolis. Et post pauca subdit. Paulus appellat hunc cibum & potũ spiritualem, vnde sequitur à nobis percipi spiritualiter, quod nõ potest intelligi nisi per fidem. Sic enim ratiocinari consueuimus: Res quæ est visibilis, visu percipitur, quæ est audibilis, auditu: quæ est intelligibilis, intellectu: quę est spiritualis, spiritu: non vt nostri fingunt ore, lingua vel palato.

Confutatio aduersariorum.

Circa hanc Martyris interpretandi licentiam, omni postposita pietatis ratione, vnum hoc spectat, vt vel nectat ad falsum sensum omnia, vel pro sua tegenda impietate ad fucatam fidem reducat omnia amentûm seu amantûm modo, qui omnia quæ pulchra, & quæ suapte natura turpia sunt dum illa diligũt, in quam volunt faciem vertunt. Sed plura consideranda sunt pro hac re.

Primùm cõsecutionem esse falsam, & inde euidens est falsitas, quia tollit veritatem cœnę

&

& manducationis, quia si fide solum ista fierent, non esset cœna & communio necessaria.

Secundum animaduersione dignum est, nã hic bonus homo non distinguit manducationis modos, qui gemini sunt, nõ ex scholæ notis & distinctionibus, quas adeò detestantur nonnulli, qui nihil sciunt nisi illas, sed ex patribus. Ait enim Augustinus. Non manducãs manducat, & manducãs non manducat, quia non manducans sacramentaliter, aliquando manducat spiritualiter, & è conuerso. Et qui manducant spiritualiter veritaté carnis & sanguinis dicuntur sumere, quia ipsam efficientiã habent. Ecce Augustinus non vnũ dumtaxat modum accipiendi ponit sed duos. Si enim vnus tantum necessarius esset scilicet per fidẽ, vana esset cœnæ celebratio quam Martyriani & Caluinistæ tanti faciunt. In epist. ad Iræneũ Acoly.

Sed quidam detestantur iugem corporis et sanguinis Christi celebrationem, asserentes ex Apostolo, ita & Christus semel oblat⁹ est, vt multorum peccata tolleret. Et alibi, vnica enim oblatione cõsecrauit in perpetuum eos qui sanctificantur. Cauillus aduersariorum. Heb. 9. & 10.

Occurrit his Chrysostomus, Pauli germanus interpres, inquit enim, quid ergo nos inquit? Nónne per singulos dies offerimus? offerim⁹ quidẽ, sed ad recordationẽ facientes mortis eius: Et vna hæc est hostia, nõ multæ. Quõ vna est & non multæ? Quia semel oblata est, oblata est in sancta sanctorũ: hoc autem sacri- Confutatio aduersariorum. homil. 17. in epist. ad Heb.

ficium, exemplar eſt illius: idipſum ſemper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, craſtina alium, ſed ſemper eundem ipſum. Proinde vnum eſt hoc ſacrificium hac ratione. Alioquin quoniam in multis locis offertur, multi Chriſti ſunt? nequaquam, ſed vnus vbique Chriſtus, & hic plenus exiſtens, & illic plenus, vnũ corpus. Ecce quomodo Chriſoſtomus vnica ſententia omnes dolos & technas hæreticorum confundit.

Super epiſtolā primam ad Cor. cap. 10.

Sed Martyr inquit folio 128. Quanto minus id credendum eſt de corpore Chriſti, vt de cœlo deſcẽdat, aut infundatur, & ſit in pluribus locis, ad hoc vt ſpiritualiter & per fidem à nobis percipiatur.

Confutatio aduerſariorum.

Maligni animi hæc oratio eſt, nam Chryſoſtom⁹ ſoluit loco ſuperius citato, ſicut enim qui vbique offertur, vnum corpus eſt, & non multa corpora: ita etiam & vnum ſacrificium. Pontifex autem noſter ille eſt, qui hoſtiam mundantem nos obtulit: ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod facimus, in commemorationem quidem fit eius, quod factũ eſt.

Mat. 26.

Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud ſacrificium, ſicut Pontifex, ſed id ipſum ſemper facimus: magis autem recordationem ſacrificij operamur. Quid autem à Chryſoſtomo clarius dici poterat ad iugem ſacrificij imolationem, & ad vnitatem corporis demonſtrandum?

Quan-

Quantum ad alteram partem quam tangit Martyr, an ſit in pluribus locis. De hac re in ſecunda parte Deo concedente erit ſermo, nunc ſolum hoc tantum dicimus, corpus Chriſti in cœlo eſt tanquam in loco, & ita vt impoſſibile ſit eſſe in alio loco, quem oportet quidem cœlo capi vſq; ad tempora reſtitutionis omnium. Nec verum eſt quod quidam Phanatici ſomniant, Chriſtum receptum fuiſſe à cœlis, ſed accepiſſe cœlos ad ſe, nam ſymbolũ canit, aſcendit ad cœlos, & non dicit recepit cœlos in ſe, ideò Auguſtinus ait: Donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt Dominus. Sed tamen etiam hic nobiſcum eſt veritas Dominus, corpus eius in quo reſurrexit in vno loco eſſe oportet: veritas autem eius vbique diffuſa eſt, & addit alibi, vna perſona eſt Deus & homo, vbique per id quod eſt Deus, in cœlo per id quod eſt homo. Quam ſententiam ſi bonus ille Brentius conſideraſſet, imò ſi Affeclæ ipſius trutina libraſſent (vt par & æquum erat) ab omni præſentia & vbiquitate deſtitiſſent. Nec commentati fuiſſent cœlum eſſe vbiq;, q̃ omnia maturius, ſuo loco conſiderabuntur. Satis eſt ſcire corpus Chriſti in ſacramento ſynaxis nõ eſſe ſicut in loco, & ratio ea eſt. Nam locus & locatum debent eſſe proportionata, ſed locus, vbi eſt hoc ſacramentũ, eſt multò minor, quàm corpus Chriſti. Itaq; non eſt in hoc ſacramento ſicut in loco.

Acto. 3.

Super pſal mum 54.

In epiſtola ad Dardanum.

Libro 4. phyſicorum.

Et quoniam in hoc ſacramento eſt verum

corpus Christi, nec incipit ibi esse per motum localem, cum non sit ibi sicut in loco, necesse est vt sit corpus Christi reale secundum realem præsentiam in sacramento vi verborum, & vi diuinæ promissionis, inqûit enim Augustinus super illud, iam vos mũdi estis propter sermonem quem loquutus sum vobis. Quare non ait, mundi estis propter baptismum, quo loti estis, sed ait, propter sermonem quem locutus sum vobis? nisi quia & in aqua verbum mundat: Detrahe verbũ, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbũ ad elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum verbum visibile, & subdit infrà. Vnde tanta vis aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Eodem modo est & in sacramento Eucharistiæ, in quo accedente verbo ad elemẽtum fit sacramentum, cõtinens verè & realiter verum corpus & sanguinem Christi sub speciebꝰ panis & vini.

Tract.80. super Ioannem. Ioan.15.

Si autem modum quęris, transcendit totam intelligentiam tam hominum quàm angelorũ. Ideò Ambrosius inquit, liquet quod præter naturæ ordinem virgo generauit, & hoc quod conficimus corpus ex virgine est. Quid ergo quæris ordinem naturæ in corpore Christi, cum præter naturam sit ipse dominus Iesus Christus partus ex virgine?

De sacramentis in lib.4.

Sed clamat Caluinus aduersus omnes, & primùm dumtaxat in scholasticos inuehit in insti-

Lib.4.capite 17. paragrapho 13.

institutione folio 507. Verecundius scholastici, quos tam barbarè impietatis horror tenuit: nihil tamen ipsi quoque quàm subtilioribus præstigijs ludunt, non circumscriptiuè, non corporali modo contineri illic Christum concedunt, sed rationem deinde comminiscuntur, quam nec ipsi intelligunt, nec alijs explicare possunt. Cauillus aduersariorum.

Respődemus tibi & tuis pariter maledictis Caluine, solutionem superius datam non ex scholasticorum capite fabrefactam, sed ex vetustissimorum doctorum scriptis esse depromptam. Chrysostomus super illud, verba quæ ego loquutus sum vobis de hoc sacramento. Spiritus & vita sunt, id est spiritualia sunt, nihil habent carnale, neque contra naturam naturalem, sed eruta sunt ab omni tali necessitate quæ in terra, & à legibus quæ hic positæ sunt. Est enim hoc dogma Apostoli clamantis & dicentis. Mihi inquam longè mintmo omnium sanctorum data est hæc gratia, euangelizandi inter gentes imperuestigabiles opes Christi, & in lucem proferendi omnibus quæ sit communio mysterij quod erat absconditum à seculis in Deo, qui omnia condidit per Iesum Christum. Quo in loco dubitant eruditissimi patres, & inquiunt, beati sine medio conspiciunt verbũ, quod est speculũ sine macula, in quo relucẽt omnia, quomodo itaq; verum est in cœlestibus existentes nõ cognouisse mysteria multiformis sapientiæ Dei.

Confutatio aduersariorum. In expositione Ioan. 6. Ephe. 3. Dubium. Col. 2.

Super Genesim ad literam 1. & in 3. capite ad Ephes. Soluit Augustinus, qui Caluini est perduellio, Deus indidit mentibus Angelorum, vt altero istorum modorum res cognoscant, vel in verbo, vel in seipsis, prior cognitio appellatur matutina, & posterior vespertina, in neutra, Angeli cognouerunt mysterium multiformis sapientiæ Dei abditi in verbo. Et ratio ea est, sunt enim quædam rationes mysteriorum gratiæ, quæ in immensum omnem naturam excedunt, & tales rationes non sunt inditæ mentibus Angelorum, sed in solo Deo occultæ. Et ideò Angeli non cognoscunt eas in seipsis, nec etiam in ipso Deo, sed secundum quod in effectis insinuantur, cognoscũtur ab eis, ideò vetustissimus Dionysius inquit, omnes angeli sciuerunt rationem mysterij in genere, tamen rationes in specie tempore didicerunt, vt fuerunt in effectis extrinsecis explicatæ, & hoc ex ipso Dei verbo patet. Nam angeli inferiores, scriptura exclamante per Christum, attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ &c. quærunt tanquam mysterij non compotes, quis est iste Rex gloriæ, quibus propheta respõdet, Dominus fortis & potens, ipse est Rex gloriæ, & subdit, Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ. Idque etiam liquet & de superioribus exclamantibus. Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Quibus Seruator respondet, Ego Seruator ad propugnandum. Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.

[Margin: In libro de cœlesti hie. — Psal. 25. — Isa. 63.]

Huius

Huius etiam generis eſt incomprehenſibile ſacramentum Euchariſtiæ, de quo Gregorius Emiſſenus inquit. Scias in ſanctiſsima cœna verum eſſe corpus Chriſti, etſi modum natura non capiat, & Ambroſius ait, licet figura panis & vini videatur, tamen nil aliud quàm caro Chriſti credenda eſt poſt conſecrationem, & hoc ideò eſt, quia de ratione ſacramenti eſt ſenſibile ſignum, & ideò eſſe ſacramentale intelligi nequit abſque ſigno ſenſibili. De myſtica benedictione. In libro 4. de ſacramentis

Et vt Caluiniſtæ intelligant benè ſententiam orthodoxam de hac re & componant in bono mentem, diſcantq; compeſcere os à blaſphemijs, audiant quid Damaſcenus de hac re dicat. Corpus enim ſecundum veritatem coniunctum eſt diuinitati, quod ex ſancta virgine corpus eſt: Non quod ipſum corpus aſſumptum de cœlo deſcenderit, ſed quòd ipſe panis & vinum tranſmutatur in corpus Chriſti, ſi autem modum requiris, quomodo, & quonam pacto id fiat, ſat eſt tibi audire, quoniam per ſpiritum ſanctum, quemadmodum ex ſancta Deipara ſeipſo, & in ſeipſo Dominus carnem ſuſtentauit. Et nihil amplius cognoſcimus, quàm quod verbum Dei eſt efficax & omnipotens, modus autē inſcrutabilis, & poſt multa ſubdit. Non eſt figura, panis & vinum, corporis & ſanguinis Chriſti (abſit enim hoc) ſed eſt ipſum corpus Domini deificatum, ipſo Domino dicente. Hoc eſt corpus meum non figura corporis, ſed corpus. Et nō figura cor- De fide orthodoxa cap. 14. Luc. 1. Mat. 26.

Ioan.6. poris & sanguinis, sed sanguis & ante hoc dixerat ipsis Iudæis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam æternam. Caro mea verus est cibus, & sanguis meus verus est potus. Qui manducat me viuet.

Cauillus hæreticorum. Martyr in tractatione de Eucharistia folio 647. non valens se absoluere ab hac sententia, (vt solent hæretici) damnat tempora, quibus Ioannes Damascenus floruit sub leone Isaurico græco Imperatore & inter Gregorium magnum Romanum Pontificem, atque istum Ioannem, interfluxerunt benè centum & viginti anni. Cumque iam tempore Gregorij multa superstitiosa inuenta coaceruata in ecclesia, res postea semper in deterius est præcipitata.

Confutatio aduersariorum. Sed qui furorē Beringarij defendere cœperunt, vt est hominū ingenium procliue ad malum, quū soluere non valent rationes, ad loca communia hæreticorū, quæ conuicia sunt habent accessum, sed audiamus de hac re Cyprianum. In sermone de cœna domini ca. Panis itaque hic azimus cibus verus & syncerus per speciem & sacramentum nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat. Nota Martyr contra tuam sententiam. Cyprianum non loqui de esu per fidem, & spirituali modo, sed de esu corporis qui fit ore, & sicut inquit Cyprianus, panis communis quem quotidie edimus, vita est corporis, ita panis iste supersubstantialis vita

est

est animæ & mentis satietas.

Panis quo singulis diebus vescimur, non spiritu, sed ore comeditur, ita & iste cibus etiā ore comeditur. Non tamen negant pij & orthodoxi patres, alium esum, sed vtrunque fatentur, quam rem si Caluinus aduertisset, tam imprudēter non loquutus fuisset, cum inquit folio 507. Nam de vera fide parū soliciti (qua sola & in Christi peruenimus societatem, & cum ipso cohæremus) modo carnalem eius præsentiam habeant, quam vltra verbum fabricarunt, satis illum se præsentem habere putant. Sunt enim Cauillini verba magnæ dementiæ signum. Nam Hieronymus inquit. Dupliciter inquit, intelligitur caro Christi, & sanguis eius, vel illa quæ crucifixa est & sepulta, & sanguis qui militis lancea effusus est, vel illa diuina de qua ipse ait, caro mea verè est cibus. Cùm autem Caluinus ait, modo carnalem eius præsentiam habeant, debuisset aduertere, esse tria in hoc sacramento quæ distinguēda sunt, vnum quod tantum est sacramentum, alterum quod est res & sacramentum, tertium quod est res & non sacramentū. Sacramentum & non res, est species panis & vini. Sacramentum & res, caro Christi propria, & sanguis Christi proprius, de quo ipse Seruator dicit. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Res & nō sacramentum mystica eius caro, nec ista statuimus extra ver-

In institu. cap. 17. Cauillus hæreticorum.

Confutatio aduersariorum.

Super epistolā ad Ephe.

Ioan. 6.

Super psalmum 109. verbum (vt Caluinus somniauit) sed ex ipso Dei verbo. Ideò Cassiodorus inquit super illud tu es sacerdos in æternum. Cui enim potest veraciter & euidenter aptari, nisi Domino Seruatori, qui corpus & sanguinem suum in panis & vini erogatione salubriter consecrauit, sicut ipse in euangelio dicit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitā æternam. Sed audite Caluinistæ quid addat, in ista carne ac sanguine nil cruentum, nil corruptibile mens humana concipiat: nec sicut dicit Apostolus, corpus Domini indignè mãducet, sed viuificatricem substantiam atque salutarem & ipsius verbi propriam factam, per quam peccatorum remissio, & vitæ æternæ dona præstantur. Et manifestum apparet in hoc sacramento Eucharistiæ ex Dei verbo, non vt cæcutiendo dicit Caluinus extra verbum, corpus & sanguinem Domini contineri.

Super Ioannem cap. 6. Si autē Caluinistæ forsan nullius axis ducent Cassiodori testimonium, audiant quid Gregorius dicat. Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam? ait: tunc ergo herbam onager inuenit, cum gentilis populus gratiam diuinæ incarnationis accepit, tunc bos vacuum præsepe non habuit, cum plebi Iudaicæ eius carnem expectanti lex exhibuit, quem diu expectatum prophetauit. Vnde natus Dominus in præsepe ponitur, vt videlicet signaretur, qa sancta animalia quę ieiuna diu apud legem inuenta

uenta sunt, incarnationis eius fœno satiarentur. Præsepe enim natus impleuit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium præbuit dicens. Qui comedit carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Fatetur enim Gregorius ex ipso Dei verbo, Deũ se dedisse nobis in cibum Ioannis voce. Ioan.6.

Sed Caluinistæ qui omnium rerum centurias ad fouendam propriam impietatem adinuenerunt, dicunt, nec Gregorium inter patres, nec ipsius scripta alicuius momenti esse, quia omnia mysticè commentatus est. Cauillus aduersariorum.

Prô facinus, nullius mendacij has nouas harpias & fœtidas pudet. Martyr enim inquit, in tractatione de Eucharistia, folio 639. post multa, quod pro vobis tradetur, subdit. Ad hæc ostendimus quæ alia loca nos adducant, vt hoc genus tropos admittamus, synecdochen inquàm aut metonymiam. Ipsi omnia resoluunt ad figuras & tropicos sermones, & Gregorium accusant, quoniam moralis est. Confutatio aduersariorum.

Sed agè concedatur illis hæc facultas conficiendi centurias. Quid dicent de Ambrosio asseuerante. Sicut verus est Deus, Dei filius dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed vt filius ex substantia patris, ita vera caro, sicut ipse dixit, quã accipimus, & verus est potus. Sed fortè dices quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi audientes dicentem: Nisi quis manducauerit meã carnem, & biberit sanguinem meum, Libro sexto de sacramẽtis cap.1. Ioan.6.

meum, non habebit vitam æternam, fortè dices, quomodo vera? Qui similitudinē video, non video sanguinis veritatem. Primò omniū dixi tibi de sermone Christi, quo operatur, vt possit cōuertere & mutare genera instituta naturę. Deinde vbi nō tulerunt sermonē Christi, discipuli eius, sed audiētes, ꝙ carnem suam daret ad manducandum & sanguinem suum daret ad bibendum, recedebant. Solus Petrus dixit: Verba vitæ æternæ habes, & ego à te quò recedam. Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidā esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideò in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutemque consequeris. Ego sum (inquit) panis viuus qui de cœlo descendi, sed caro nō descendit de cœlo, hoc est carnem in terris assumpsit ex virgine. Quomodo ergo descendit de cœlo, & panis viuus. Quia idem Dominus noster Iesus Christus consors est diuinitatis & corporis, & tu qui accipis panem diuinæ eius substantiæ in illo participaris alimento. Iam Ambrosius, Martyr vt patet, non per tropos exponit, non moraliter loquitur, sed de vera Christi carne, & ideò locum Euangelij declarat, in quo primùm sanctissimi corporis & sanguinis Christi sermo nobis propositus est.

Aduersariorum cōfessio. Lib. 4. de fide or-

Martyr autem quùm non valeret Damasceno occurrere inquit in tractatione de Eucharistia, folio 648. ex auctoritate Damasceni, panis

panis communionis, non est simplex panis; verùm diuinitatem habet adiunctam: quę nos facilè admittemus, qui non dicimus hic esse communem aut simplicem panem, sed iam sanctificatum conuersumq; in naturam sacramenti. thodoxa cap. 14.

Peto à Martyre, in sacramento cœnæ, sunt tria, sacramentum tantum, sacramentum & res, & res tantum. Panis per te est conuersus, aut in panem, aut in corpus Christi, non in panem, quia idem in seipsum conuerteretur, cùm ergo non sit aliud nisi corpus Christi, in illud velit, nolit Martyr, coactus est fateri esse conuersum panem, quam rem tantis phaleris detestatur in suis scriptis, nisi velit sibi ipsi aduersari. Quæsitũ auctoris.

Eadem veritate cõpulsus Caluinus in quodam suo diplomate aduersus quendã è Vuesphalia seu Ioachimũ Vuesphalũ in principio inquit, postquã vidit scripta fœlicis memoriæ Martini Lutheri aduersus Zuingliũ nunq̃ potuisse sibi persuadere in sacra cœna esse solum illa signa, & si nõ sunt solũ illa signa; sed aliud, illud aliud quid erit, nisi verũ & reale corpus Domini nostri Iesu CHRISTI dicentis. Hoc est corpus meum & hic est sanguis meus, & alibi caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ideò Cyrillus in concilio Ephesino præsidens inquit. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur participes corporis sancti, Mat. 26. Ioan. 6. In epist. ad Nestorium hæreticum.

&

& pretiosi sanguinis Christi omnium redemptoris effecti, nō vt communem carnem percipientes (quod absit) neque vt viri sanctificati & verbo coniuncti secundū dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam posside̅tis habitationem, sed verè viuificatricem, & ipsius verbi propriam factā: vita enim naturaliter vt Deus existens, qui propriè carni vnitus est, viuifica-
Ioan. 6. tricem eam esse professus est: & ideò quamuis ad nos dicat: Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: non tamen eā vt hominis vnius ex nobis existimare debemus. Quomodo enim iuxta naturam suam viuificatrix esse poterit caro hominis? Sed vt verè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis factus est, & vocatus.

Cauillus hæreticorum. Sed pseudo Christi propheta Oecolampadius inquit, hanc determinationem non extare inter acta concilij Ephesini, sed esse in epistola Cyrilli aduersus Nestorium hæreticum.

Confutatio aduersariorum. Verùm intuenti mihi theatrum tam ipsorum qui in arenam prodeunt, quàm spectatorum, mirificam mihi specie̅ cernere videor. Adeò enim dissimilia & mirifica oriūtur singulis propediem horis studia, & iudicia, vt nihil ducant mentiri, circumuenire, præstigijs vt ita dicam fascinare seipsos, & decipere reliquos. Nam Oecolampadius non vidit titulum epistolæ Nestorio traditæ, si enim vidisset, nō

ita

ita deliraſſet, titulus enim is eſt, religioſo & Deo amabili ſacerdoti Neſtorio & quicunq; cum eo ſunt apud Epheſi ſynodum, ex iſta epiſtola clarum eſt voto & ſuffragijs totius ſynodi Neſtorio hanc epiſtolam fuiſſe directã. Sed quis non videt in medium prodere noſtris hiſce temporibus ſpecies illius poëticæ chimeræ, ita vt quiſque limphante cæco furore à veritatis ſemitis alius eò, alius illò tendat.

Martyr enim in tractatione de Euchariſtia folio 649. longè diuerſum commentum finxit, inquit enim quę nos minimè negamus, modò eſus ad animum & fidem intelligatur pertinere. Nam in ſacramento manducare ſpiritualiter, ſed verè, carnem Chriſti concedimus. Nec vnquàm fingimus talem quæ ſeiuncta ſit à pſona diuina. Hi verò propriè diaboli flabella ſunt, quæ incendium hoc tantum, ſine fine amplificant, nec vlla ſalutaria remedia quæri aut adhiberi patiuntur. Nunquam enim patres negarunt manducationem per fidem. Sed illud in quo moderni faſcinati deluduntur, hoc eſt, quia ſolum hunc eſum concedunt, & non alium, & ideò Caluinus hoc delirio excæcatus folio 507. ait, pro multis tamen vnus locus ſufficiet. Paulus enim Chriſtum non aliter in nobis quàm per ſpiritum ſanctum habitare diſſerit: quo tamen illam de qua nunc eſt ſermo carnis & ſanguinis communionem non tollit, ſed ab vno ſpiritu effici docet, vt totum Chriſtum poſsideamus

Cauillus Martyris.

Confutatio aduerſariorum.

In inſtit. cap. 17. §. 13.

Rom. 8.

& habeamus in nobis manentem.

Confutatio Caluini. Huius hominis studium eò tẽdit vt solum statuat esum spiritualem, & hæc opinio apud multos ita altè egit radices, vt nullas posśint admittere admonitiones neque rationes. Et ex hoc laberynto cum non valeant se & alios expedire, vt dicant solũ in cœna corpus Christi esse sub figura & non realiter & per veram corporis & sanguinis præsentiam, aduersus quos sacra euangelia clamant, vt sæpè sæpius

Mat.26. Mar.14. Luc.22. dictum est, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, corpus dicit nõ figurã corporis, sanguinem non sanguinis symbolum, vt garriũt isti noui dogmatistæ. Ideò Haymo ante septingentos annos natús, ait, super illud quoniã

1. Cor.10. vnus panis & vnum corpus multi sumus. Caro quàm verbum Dei patris assumpsit in vtero virginali in vnitate suæ personæ, & panis qui consecratur in ecclesia vnũ corpus Christi sunt. Sicut enim illa caro corpus Christi est: ita & panis transit in corpus Christi: nec sunt duo corpora sed vnum corpus, diuinitatis etenim plenitudo quæ fuit in illo, replet & istũ panem & ipsa diuinitas verbi, quæ implet cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt, ipsa replet corpus Christi, quod à multis per vniuersum orbem sanctificatur, & facit vnũ corpus Christi esse: & sicut ille panis & sanguis in corpus Christi transeunt, ita omnes qui in ecclesia dignè comedunt illud, vnum cor-

Ioan.6. pus CHRISTI sunt sicut ipse dicit. Qui

man-

manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo. Sed confestim clamabunt, noui isti gigantes, cum ipsis nihil commune habere Haymonem, neque esse in patres connumerandum, & ita nullius assis ipsius sententiam existimabunt. Cauillus aduersariorum.

Ira & liuor habitant in cordibus istorum, ita vt potius pro captu metis dimicent, quàm pro veritate. Nam si delibassent quid sibi vult ista vox cœna Domini, dixissent esse cærimoniam institutam à Christo in Euangelio, in qua visibilibus elementis panis & vini fit realis & substantialis communicatio corporis & sanguinis Christi, ita vt filius Dei realiter & substantialiter ibi in sacramento sit præsens, vt duplici esu manducetur à nobis corpore & fide, nam si fide dumtaxat fieret esus satis esset vt aliàs dictum est auditus, nam Paulus clamat, fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Et ideò Eucharistia constat, vt iam dictum est ex duplici re terrena & cœlesti. Et in hac actione id agimus, vt cum re terrena detur nobis cœlestis res, & fiat vnio inter nos & Christum. Qui enim manducat me, viuet propter me, & nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Confutatio aduersariorum. Rom. 9. Ioan. 6.

Hinc operæpretiũ est in hac actione eucharistiæ Christum realiter substantialiterque



 sub

ſub illis ſymbolis pane ſcilicet & vino eſſe p̃ſenté, vt paſsim ſacra ſcriptura teſtatur, & conſenſus omnium orthodoxorũ tenet, nec hanc ſacræ ſynaxis, ſeu cœnæ adminiſtrationẽ tantum eſſe repræſentationem quaſi ſcenicã Chriſti abſentis, aut ſimplicem & nudam picturam ſignificantem quid diuini, aut tantum vt quidam garriunt profeſsionis notam, vt exemplo pingamus, quemadmodum toga, Romanum ſolita erat à græco ſecernere. Verùm è contra ſtatuimus corpus Chriſti præſens & cũ hoc eſu ore prius accepto, fide tamen comite vitam ſumentibus æternam præſtare. Non enim opus eſt accreſcere prodigioſas (& vt loqui ſolent) tremendas interpretationes. Nobiſcũ agit filius Dei qui ipſa eſt veritas, & nos vult reddere certos de bonis illis quæ oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis vſquàm non aſcenderunt per ſuum Euangelium, ita vt dicamus ad quem diuertemus, verba vitæ æternæ tu habes, apud te eſt fons vitæ. Ioan.6.

Quæ iſta igitur dementia eſt? omiſſa luce Euangelij dicentis, hoc eſt corpus meũ, quærere quid detur pani, aut quæ ſit vnio corporis Chriſti cum pane. Secedant iſti furores à pijs mentibus, qui dubioprocul antiquitati omnes fuerunt ignoti. Nunquam eccleſia illa naſcens & vetus dubia fuit de veritate horum verborum hoc eſt corpus meum. Et calix eſt nouum teſtamentũ in ſanguine Chriſti. Clara & explicata res eſt. Intelligunt Apoſtoli, Mat.26.

ideò

ideò clamant, non dijudicans corpus Domini, intelligunt piæ mentes, & ideò Ambrosius inquit. Antequam consecratur panis est, ubi autẽ verba Christi accesserũt, corpus est Christi, denique audi dicentem: Accipite & bibite ex eo omnes, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus. Ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus. Vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit. Lib. 5. de sacramentis. Luc. 22.

Huic sententiæ paululum immorandum duxi, & peto à Martyre & Caluino, si sanguis quo potamur in sanctissima Eucharistia, est idem cum sanguine effuso pro generis humani redemptione. Si dicatur nõ esse idem, quomodò Ambrosius dicit ibi sanguis efficitur qui plebem redemit? Si autem dicatur idem esse, quomodo Oecolampadium tuẽtur quidam asserentes, panem, & corpus, & sanguinẽ, intelligenda esse sub tropo & figurata loquutione.

Martyr autem sic scribit, si quæras quid per communionem adipiscamur, aliqui dixerunt merita Christi, & fructus mortis Domini: quod mihi non displicet, verùm addo, quòd ipsum Dominum, qui est fons horum bonorum etiam habemus. Nam illum quoad diuinitatem nobis adesse non dubitamus: corpus verò & sanguis eius tametsi quo ad corporalem & naturalem conditionem attinet, sint in cœlis, & suo loco contineantur, tamen spiri- In expositione prioris epistolæ ad Co. 11.

tuali vita & ratione, fide in quã & animo comprehendimus, atque hoc pacto re vera nobiscum esse dici possunt, quùm fides nostra in res fictas & mendacia non feratur.

Confutatio aduersariorum. Si quis docendi causa quærit tropum, non difficile est eum nominare, ego autem dico in phrasibus sacramentalibus, metonymia quæ simul complectitur synecdochen concinna est, dummodo seruetur veritas rei, & non aberremus à corporis Christi reali præsentia in

1.Cor.11. Eucharistia. Quam rem appositè Anselmus manifestauit super illud Apostoli. Hic calix nouum testamentũ est in meo sanguine, inqt: Testamentum nouũ in Christi sanguine consequuti sumus, per quod ad nouã hæreditatẽ perueniamus, qa beneficij diuini sanguis testis est. vnde & ad tuitionẽ corporis & animæ, sacramẽta eius percipimus, q̃a caro eius pro salute nostri corporis est oblata: sanguis verò eius ꝓ anima nostra effus⁹ est, vt vtraq; nostri substantia hæreditatẽ vitæ perennis accipere posset. Nec mirum ꝙ de pane & vino carnẽ & sanguinẽ suum fecit. Nã in quolibet homine carnem & sanguinẽ de pane & vino facit, quia panis comestus mutatur in carnem, & vinũ potatũ vertitur in sanguinem per creatoris operationem ex hac Anselmi sententia illud primò nobis cõstitutum esse debet, corpus Christi sumi à nobis non tantum fide sed etiam

In sermone de cœna. ore. Alterum verè & realiter corpus Christi contineri sub speciebus panis & vini. Ideò

Mar-

martyr Cyprianus concludit. Ipſe Chriſtus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit, vt nō tantū exterius hoc ſanguine liniremur, ſed & interius aſperſione omnipotenti anima muniretur, & penetrans oīa tanti medicamenti virtus quicquid eſſet intus, tibi durū effugaret & renouaret, ſanaretq; quicquid morbi carni vel ſpiritui veteris vitæ adlinierat corruptela: in qua ſententia de gemina aſperſione ſermonem habet: & ideò hanc veritatem concilia duo, Romanum vnum, Vercellenſe alterum determinarunt, & ad palinodiam recantandam Beringarius adductus eſt.

Sed Martyr in ſua tractatione de Euchariſtia folio 649. poſtquam fatetur nihil de conciliorum illorum actis extare, deridendo concludit. Itaque non moramur hoc concilium, cùm ibi tam craſsè actum fuerit. Cauillus aduerſariorum.

Verùm propugnatores fidei chriſtianæ ſeneſcētis, vt videri volūt, cùm oculos huius teſtimonij præſtringi ſentiant, velant ſe, imitati exemplum Agamemnonis nolentis ſpectare necem filiolæ, ſed quale & quàm bellū hoc ſit velum ex Ambroſio videamus. Ait enim. Re vera mirabile eſt quod māna Deus plueret patribus, & quotidiano cœli paſcebātur alimento: vnde dictū eſt. Panem angelorū manducauit homo, ſed tamen panē illum qui manducauerunt oēs in deſerto, mortui ſunt: iſta aūt eſca quā accipis, iſte panis viu', qui de cęlo deſcendit, vitæ æternæ ſubſtantiā ſubminiſtrat: Confut. hæreticorum. Lib. 1. de ſacramentis. Pſal. 77.

& quicunque hunc manducauerit, non morietur in æternum, & corpus Christi est: clarum est ex hoc doctore corpus Christi esse escam, quã fideles accipiunt in ecclesia, ait nanque: iste panis viuus qui de cœlo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrat: Non secundum hoc quod videtur, quod corporaliter sumitur, quod dente premitur, quod fauce glutitur, quod receptaculo ventris suscipitur, æternæ vitæ substantiã subministrat? isto nanque modo, carnem pascit morituram, nec aliquam subministrat incorruptionem, neque dici verè potest: Quicunque hunc manducauerit, non morietur in æternum. Est ergo in illo pane vita quæ oculis non apparet corporeis, sed fidei contuetur aspectu: Qui etiã panis viuus qui descendit de cœlo, existit: & de quo verè dicitur: Quicunque hunc manducauerit nõ morietur in æternum: & qui est corpus Domini, & subdit de omnipotente virtute, sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim maius est nouas res dare, quàm mutare naturas. In mysterio siquidem illo sanguinis & corporis Christi commutationem esse factam, & mirabiliter, quã diuinè, & ineffabiliter quia incomprehensibile.

Ioan. 6.

Cauillus hæreticorum.

Martyr tamen duo dicit in sua tractatione de Eucharistia folio 642. primùm hos libros de mysterijs vel de Sacramentis non

esse

esse Ambrosij, sed solum Augustinum citasse Ambrosium, in sermone seu tractatione de sacramento regenerationis. Addit & aliud, fac esse Ambrosij non per omnia à nobis dissentiunt. Nam sæpè meminit significādi, & quod appellantur & dicuntur hæc sacramenta corpus Christi, quæ nos minimè inficiamur.

In libro aduersus Iuliānum Apostatá.

Sed ò facinus de tanti sceleris impietate capiunt fidem, videant omnes obsecro, an illa quæ Martyr dicit alicuius momēti sint, & primum ab omnibus libri de sacramentis tenentur esse Ambrosij, vsque ad tempora Martyris, solus hic nouus impostor negauit esse Ambrosij, vt suæ consuleret impietati, scimus & testis est historia diuina ab origine mūdi diabolum mirabilibus artibus insidiatum esse generi humano, & vt Deum contumelia afficeret, quàm plurimos à vero cultu Dei ad idololatriam implicasse, quod si vnquam illud fuit tempus hoc maximè est illud in quo homines fascinati opinione propriæ excellentiæ omnia plus satagunt quàm veritatis candorē, vt in Martyre videtur luce meridiana clarius, qui non valens occurrere Ambrosio asserenti in Eucharistia esse verum & reale corpus Christi satis fuit illi dicere sępè meminit significandi, conceditur, quid tum? ergo non est in Eucharistia verum & reale corpus Christi, consequutio est impia. Nam post multa subdit Ambrosius: Hic etiā surgit auditor, & dicit, corpus esse Christi quod cernitur, & sanguinem

Confutatio aduersariorum.

qui bibitur, nec quærendum quo modo factum sit, sed tenendum quod sic factum sit. Benè quidē sentire videris, sed si vim verborum diligenter inspexeris, corpus Christi quidem sanguinemq; fideliter credis, sed si perspiceres quia quod credis, nōdum vides. Nam si videres, diceres, video, non diceres, credo corpus sanguinemq; esse Christi. Nunc autem quia fides eorum, quicquid illud totū est aspicit, & oculus carnis nihil apprehendit, intelliget, ꝙ non in specie sed in virtute corpꝰ & sanguis Christi existant quæ cernuntur. Subdit etiam vera vtiq; caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est, verè ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus Christus. Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus.

In lib. 1. de sacramentis. Mat. 26. Luc. 22.

Hinc colligere debent ex Ambrosio lectores. Quanta diligentia, quanta prudentia facta est distinctio de carne Christi, quæ cruci affixa fuit, quæ sepulta est, secundum quam Christus & crucifixus est, & sepultus ait, vera itaque caro Christi.

At de illa quæ sumitur in sacramento dicit: verè ergo carnis illius sacramentum est, distinguens sacramētum carnis à veritate carnis, quatenus in veritate carnis quam sumpserat de virgine diceret eum, & crucifixum & sepultum.

Quod verò nunc agitur in ecclesia mysteriū est veræ illius carnis, in qua crucifixus est,

&

& dicit eſſe ſacramentum: patenter fideles inſtituens, quòd caro illa ſecundum quã & crucifixus eſt Chriſtus & ſepultus, non ſit myſterium ſed veritas naturæ. Hæc verò caro quæ nunc ſimilitudinem eius in myſterio continet, non ſit ſpecie caro, ſed ſacramentum. Si quidem in ſpecie panis eſt, in ſacramento verum Chriſti corpus, ſicut ipſe clamat, hoc eſt corpus meum. Mar.14.

Hinc dulciſsima illa concio in cœna plena eſt ſalutaris doctrinæ & veritatis, in qua ſeruator omniũ, qui ipſiſsima eſt veritas. Inquit, hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus. Luc.22. Quibus verbis verè realiter, idemticè, & ſubſtantialiter manifeſtant, in cœna verũ & reale Chriſti corpus dari geminoq́; eſu edi. Et oẽs à veritate hac nulla ratione patiantur ſe abduci. Nã & Chriſtus verax eſt, q̃a non eſt vt homo vt mentiatur, & eſt omnipotens qui ea quę affirmat, præſtare poteſt. Ideò Ambroſius ſubdit: In illo ſacramento Chriſtus eſt: quia corpus Chriſti eſt. Lib.1.de ſacramentis.

Igitur cùm ipſa Chriſti verba neq; ab ipſo figuratè dicta, neq; ab Apoſtolis ſecus interpretata ſint quàm de vero Chriſti corpore, vt Tharſenſis Apoſtolus clamat: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diſcernens corpus Domini. 1. Cor.11. Ideò Chriſtus affirmat hoc eſſe corpus ſuum, quod pro nobis traditur, & ſanguinem ſuum qui pro nobis effunditur. Mar.14.

Cauillus aduersariorum. cap.17. Sed Caluinus hoc ipsum esse Christi merita, quæ vnum conficiant, affirmat in institutione, & idcirco corpus & sanguinem Christi appellat.

Sed nos quidem neque inficiamur, ita appellari posse, sed petimus à Caluino quando hoc meritorum corpus in cruce fractum fuit, & huiusmodi fuit in terram sanguis effusus? Quid hoc commento ineptius posset excogitari, quid ab Christi verbis, ac sententia alienius? Valeant itaq; isti solertes verborum interpretes, atque inuentis suis glorientur, illisque adhærescant: At nos firmißimo Christi verbo innitamur, vt ab illo discedere cane peius aut angue ducamus. Propterea nihil ambigamus ipsum Dominum nostrum Iesum Christum verum corpus & sanguinem reliquisse communicandum. Nam huiusmodi corpus & sanguinem reliquisse Dominũ nostrum Iesum Christum ecclesia vniuersa Christi verbo edocta, etiã Apostolorum exemplo instructa, semper credidit, sub hoc sacramento accipere, quæ si erraret, ab ipso sponso suo iamdudum fuisset ab errore vindicata, aut si certè errauerit, quod minimè gentium conceditur, fœlicius cum Christo & Apostolis, quã cum Beringario Zuinglianis & Caluinistis errarit.

Super Ioanné cap. 18. Si enim errat ecclesia, nõ in hoc tantum errat, vt addat, vel detrahat verbo Christi, sed errat credẽs verbo illius quod accedit ad elemen-

mentum & fit ſacramentum, inquit enim Auguſtinus. At Zuinglius ne dum errat in ipſo verbo, ſed pro ſuo arbitrio & addit & detrahit verbo, quod quā perniciosum ſit, & Deo iniurium ipſe viderit. Sed nullo modo errare poteſt, qui cum Chriſti verbo innitatur, illud in eum ſenſum accipit, in quem eccleſia ab Apoſtolis accepit, & docuit. Ideo Yſidorus inquit. Panis quem frāgimus corpus Chriſti eſt, qui dicit, ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Vinum autē, ſanguis eius eſt, & hoc eſt quod ſcriptū eſt: Ego ſum vitis vera, ſed panis quia confirmat corpus, ideò corpus Chriſti nuncupatur, vinum autem quia ad ſanguinem attinet, quia ſanguinem operatur in carne, ideò ad ſanguinem Chriſti refertur. Hæc autem duo viſibilia ſunt ſanctificata, tamen per ſpiritum ſanctum, in ſacramentum diuini corporis tranſeunt.

Libr. I. de officijs eccleſiaſticis cap. 18.

Ioan. 6.

Ioan. 12.

Sed Martyr validiſsimus Antagoniſta intuendo Cinglianiſmo, plura ex Ambroſio citat, & primùm inquit, nam Ambroſius dicit, Hic vmbra, hic imago, illic veritas, vmbra in lege, imago in euangelio, veritas in cœleſtibus: ante Agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nūc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo recipiens paſsionem, ſed offert ſe ipſe, quaſi ſacerdos vt peccata dimittat, hic in imagine ibi in veritate, vbi apud patrem, quaſi aduocatus pro nobis interuenit.

Cauillus aduerſariorum.

Libr. 4. de offic. cap. 48.

Sed

in quod conuersio terminatur. Ipsa verò conuersio propriè & directè ad Christi corp⁹ terminatur, & hinc diuinitas & anima non sunt in hoc sacramento nisi ex reali concomitantia, sed non ex vi sacraméti, quæ propriè est ad corpus Christi, ideò inuisibiliter & illocaliter, realiter tamen, est in sacramento, in cœlis autem est visibiliter. Sacramétaliter verò erit nobiscum vsq; ad consummationem seculi, et iuxta hanc interpretationem interpretati sunt patres sententiam illam, hoc est corpus meum & hic est sanguis meus.

Luc. 22.

Cauillus aduersariorum. Ioan. 12.

Sed clamant aduersarij, si corpus Christi est secundum realem præsentiam in sacramento Eucharistiæ quomodo verũ est, quod Seruator ait: pauperes enim semper vobiscum habebitis, me autem non semper habebitis.

Confutatio aduersariorum.

Eo enim sensu ista accipienda sunt, vt intelligamus, quòd discipuli & nos qui superstites sumus, cæteriq́; alij, non essemus habituri ipsum in ea forma ac naturali specie, qua vixit in terris, quaq́; est in cœlis, & qua tandem veniet ad extremum iudicium. In cœlo in naturali ac sua propria forma residet, in terris autem sub aliena forma panis & vini delitescit, ideò Augustin⁹ inquit: Hic enim visibilis species panis vocatur nomine carnis, & visibilis species vini appellatur nomine sanguinis: inuisibilis verò & intelligibilis dicitur caro Christi: quia secundum illam speciem nõ videtur caro, sed intelligitur, ita & sanguis.

In libro sententiarum Prosperi.

Hinc

Hinc optimè dixerunt nonnulli, corpus Chriſti comparatur ad ſpeciem & ad locum ſpeciei. Ad ſpeciem panis non comparatur ſicut ad locum, ſed quemadmodum ad ſignum continens ſignatum. Ad locum verò ſpeciei comparatur, ſicut ad locum, per accidens tamen, non per ſe, quia nō ſecundum ſe, ſed ſpecie mediante.

Agè exemplo ſignificabo, quemadmodū anima comparatur ad corpus, & ad corporis locum: alia tamen atque alia ratione. Nam ad corpus comparatur vt ad perfectibile, non vt ad locum, quia locatum oportet vt ſit à loco ſeparatum, atque ad corporis locum per accidens, corpore dumtaxat mediante. Locū tandem per accidens dicimus configurari locato per ſe, non locato per accidens, quemadmodum locus hominis cōfiguratur corpori eius, non animæ. Libr. 4. phyſicorum.

Hinc locus ſpeciei ſacramentalis, configuratur ſpeciei, non corpori Chriſti: Quod autem ipſum Chriſti corpus non ſit in ſpecie, ſicut in loco, ea eſt ratio. Nam locatum comparatur ad locum ſecundum quantitatem ſuam primò & per ſe, nec ſubſtantia replet, aut occupat locum, niſi quantitate interueniente: corpus verò Chriſti cōparatur ad ſpeciem, prout eſt quædam ſubſtantia primò & per ſe, & ſubſtantia panis eſt ſubſtantia corporis Chriſti. Qualitas verò corporis Chriſti, non eſt ibi niſi per accidens, quaſi propter cōcomitantiam

ſub illis ſymbolis pane ſcilicet & vino eſſe pſenté, vt paſsim ſacra ſcriptura teſtatur, & conſenſus omnium orthodoxorũ tenet, nec hanc ſacræ ſynaxis, ſeu cœnæ adminiſtrationẽ tantum eſſe repræſentationem quaſi ſcenicã Chriſti abſentis, aut ſimplicem & nudam picturam ſignificantem quid diuini, aut tantum vt quidam garriunt profeſsionis notam, vt exemplo pingamus, quemadmodum toga, Romanum ſolita erat à græco ſecernere. Verùm è contra ſtatuimus corpus Chriſti præſens & cũ hoc eſu ore prius accepto, fide tamen comite vitam ſumentibus æternam præſtare. Non enim opus eſt accreſcere prodigioſas (& vt loqui ſolent) tremendas interpretationes. Nobiſcũ agit filius Dei qui ipſa eſt veritas, & nos vult reddere certos de bonis illis quæ oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis vſquàm non aſcenderunt per ſuum Euange-
Ioan.6. lium, ita vt dicamus ad quem diuertemus, verba vitæ æternæ tu habes, apud te eſt fons vitæ.

Quæ iſta igitur dementia eſt? omiſſa luce Euangelij dicentis, hoc eſt corpus meũ, quærere quid detur pani, aut quæ ſit vnio corporis Chriſti cum pane. Secedant iſti furores à pijs mentibus, qui dubioprocul antiquitati omnes fuerunt ignoti. Nunquam eccleſia illa naſcens & vetus dubia fuit de veritate horum
Mat.26. verborum hoc eſt corpus meum. Et calix eſt nouum teſtamentũ in ſanguine Chriſti. Clara & explicata res eſt. Intelligunt Apoſtoli,
ideò

ideò clamant, non dijudicans corpus Domini, intelligunt piæ mentes, & ideò Ambrosius inquit. Antequam consecratur panis est, vbi autē verba Christi accesserūt, corpus est Christi, denique audi dicentem: Accipite & bibite ex eo omnes, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus. Ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus. Vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit.

Lib.5. de sacramentis.

Luc.22.

Huic sententiæ paululum immorandum duxi, & peto à Martyre & Caluino, si sanguis quo potamur in sanctissima Eucharistia, est idem cum sanguine effuso pro generis humani redemptione. Si dicatur nō esse idem, quomodò Ambrosius dicit ibi sanguis efficitur qui plebem redemit? Si autem dicatur idem esse, quomodo Oecolampadium tuētur quidam asserentes, panem, & corpus, & sanguinē, intelligenda esse sub tropo & figurata loquutione.

Martyr autem sic scribit, si quæras quid per communionem adipiscamur, aliqui dixerunt merita Christi, & fructus mortis Domini: quod mihi non displicet, verùm addo, quòd ipsum Dominum, qui est fons horum bonorum etiam habemus. Nam illum quoad diuinitatem nobis adesse non dubitamus: corpus verò & sanguis eius tametsi quo ad corporalem & naturalem conditionem attinet, sint in cœlis, & suo loco contineantur, tamen spiri-

In expositione prioris epistolæ ad Co.11.

tuali vita & ratione, fide inquã & animo comprehendimus, atque hoc pacto re vera nobiscum esse dici possunt, quùm fides nostra in res fictas & mendacia non feratur.

Confutatio aduersariorum.

Si quis docendi causa quærit tropum, non difficile est eum nominare, ego autem dico in phrasibus sacramentalibus, metonymia quæ simul complectitur synecdochen concinna est, dummodo seruetur veritas rei, & non aberremus à corporis Christi reali præsentia in

1.Cor.11.

Eucharistia. Quam rem apposité Anselmus manifestauit super illud Apostoli. Hic calix nouum testamentũ est in meo sanguine, inqt: Testamentum nouũ in Christi sanguine consequuti sumus, per quod ad nouã hæreditaté perueniamus, q̃a beneficij diuini sanguis testis est. vnde & ad tuitioné corporis & animæ, sacraméta eius percipimus, q̃a caro eius pro salute nostri corporis est oblata: sanguis verò eius pro anima nostra effusꝰ est, vt vtraq; nostri substantia hæreditaté vitæ perennis accipere posset. Nec mirum ꝙ de pane & vino carné & sanguiné suum fecit. Nã in quolibet homine carnem & sanguiné de pane & vino facit, quia panis comestus mutatur in carnem, & vinũ potatũ vertitur in sanguinem per creatoris operationem ex hac Anselmi sententia illud primò nobis cõstitutum esse debet, corpus Christi sumi à nobis non tantum fide sed etiam ore. Alterum verè & realiter corpus Christi contineri sub speciebus panis & vini. Ideò

In sermone de cœna.

Mar-

martyr Cyprianus concludit. Ipse Christus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit, vt nõ tantũ exterius hoc sanguine liniremur, sed & interius aspersione omnipotenti anima muniretur, & penetrans oĩa tanti medicamenti virtus quicquid esset intus, tibi durũ effugaret & renouaret, sanaretq; quicquid morbi carni vel spiritui veteris vitæ adlinierat corruptela: in qua sententia de gemina aspersione sermonem habet: & ideò hanc veritatem concilia duo, Romanum vnum, Vercellense alterum determinarunt, & ad palinodiam recantandam Beringarius adductus est.

Sed Martyr in sua tractatione de Eucharistia folio 649. postquam fatetur nihil de conciliorum illorum actis extare, deridendo concludit. Itaque non moramur hoc concilium, cùm ibi tam crassè actum fuerit. Cauillus aduersariorum.

Verùm propugnatores fidei christianæ senescẽtis, vt videri volũt, cùm oculos huius testimonij præstringi sentiant, velant se, imitati exemplum Agamemnonis nolentis spectare necem filiolæ, sed quale & quàm bellũ hoc sit velum ex Ambrosio videamus. Ait enim. Re vera mirabile est quod mãna Deus plueret patribus, & quotidiano cœli pascebãtur alimento: vnde dictũ est. Panem angelorũ manducauit homo, sed tamen panẽ illum qui manducauerunt oẽs in deserto, mortui sunt: ista aũt esca quã accipis, iste panis viu⁹, qui de cęlo descendit, vitæ æternæ substantiã subministrat: Confut. hæreticorum. Lib. 1. de sacramentis. Psal. 77.

& quicunque hunc manducauerit, non morietur in æternum, & corpus Christi est: clarum est ex hoc doctore corpus Christi esse escam, quã fideles accipiunt in ecclesia, ait nanque: iste panis viuus qui de cœlo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrat: Non secundum hoc quod videtur, quod corporaliter sumitur, quod dente premitur, quod fauce glutitur, quod receptaculo ventris suscipitur, æternæ vitæ substantiã subministrat? isto nanque modo, carnem pascit morituram, nec aliquam subministrat incorruptionem, neque dici verè potest: Quicunque hunc manducauerit, non morietur in æternum. Est ergo in illo pane vita quæ oculis non apparet corporeis, sed fidei contuetur aspectu: Qui etiã panis viuus qui descendit de cœlo, existit: & de quo verè dicitur: Quicunque hunc manducauerit nõ morietur in æternum: & qui est corpus Domini, & subdit de omnipotente virtute, sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim maius est nouas res dare, quàm mutare naturas. In mysterio siquidem illo sanguinis & corporis Christi commutationem esse factam, & mirabiliter, quã diuinè, & ineffabiliter quia incomprehensibile.

Ioan. 6.

Cauillus hæreticorum.

Martyr tamen duo dicit in sua tractatione de Eucharistia folio 642. primùm hos libros de mysterijs vel de Sacramentis non esse

eſſe Ambroſij, ſed ſolum Auguſtinum citaſſe Ambroſium, in ſermone ſeu tractatione de ſacramento regenerationis. Addit & aliud, fac eſſe Ambroſij non per omnia à nobis diſſentiunt. Nam ſæpè meminit ſignificãdi, & quod appellantur & dicuntur hæc ſacramenta corpus Chriſti, quæ nos minimè inficiamur.

In libro aduerſus Iuliãnum Apoſtatã.

Sed ô facinus de tanti ſceleris impietate capiunt fidem, videant omnes obſecro, an illa quæ Martyr dicit alicuius mométi ſint, & primum ab omnibus libri de ſacramentis tenentur eſſe Ambroſij, vſque ad tempora Martyris, ſolus hic nouus impoſtor negauit eſſe Ambroſij, vt ſuæ conſuleret impietati, ſcimus & teſtis eſt hiſtoria diuina ab origine mũdi diabolum mirabilibus artibus inſidiatum eſſe generi humano, & vt Deum contumelia afficeret, quàm plurimos à vero cultu Dei ad idololatriam implicaſſe, quod ſi vnquam illud fuit tempus hoc maximè eſt illud in quo homines faſcinati opinione propriæ excellentiæ omnia plus ſatagunt quàm veritatis candorẽ, vt in Martyre videtur luce meridiana clarius, qui non valens occurrere Ambroſio aſſerenti in Euchariſtia eſſe verum & reale corpus Chriſti ſatis fuit illi dicere ſępè meminit ſignificandi, conceditur, quid tum? ergo non eſt in Euchariſtia verum & reale corpus Chriſti, conſequutio eſt impia. Nam poſt multa ſubdit Ambroſius: Hic etiã ſurgit auditor, & dicit, corpus eſſe Chriſti quod cernitur, & ſanguinem

Confutatio aduerſariorum.

qui bibitur, nec quærendum quo modo factum ſit, ſed tenendum quod ſic factum ſit. Benè quidẽ ſentire videris, ſed ſi vim verborum diligenter inſpexeris, corpus Chriſti quidem ſanguinemq; fideliter credis, ſed ſi perſpiceres quia quod credis, nõdum vides. Nam ſi videres, diceres, video, non diceres, credo corpus ſanguinemq; eſſe Chriſti. Nunc autem quia fides eorum, quicquid illud totũ eſt aſpicit, & oculus carnis nihil apprehendit, intelliget, ꝙ non in ſpecie ſed in virtute corpꝰ & ſanguis Chriſti exiſtant quæ cernuntur. Subdit etiam vera vtiq; caro Chriſti quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt, verè ergo carnis illius ſacramentum eſt. Ipſe clamat Dominus Ieſus Chriſtus. Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus.

In lib. 1. de ſacramentis. Mat. 26. Luc. 22.

Hinc colligere debent ex Ambroſio lectores. Quanta diligentia, quanta prudentia facta eſt diſtinctio de carne Chriſti, quæ cruci affixa fuit, quæ ſepulta eſt, ſecundum quam Chriſtus & crucifixus eſt, & ſepultus ait, vera itaque caro Chriſti.

At de illa quæ ſumitur in ſacramento dicit: verè ergo carnis illius ſacramentum eſt, diſtinguens ſacramẽtum carnis à veritate carnis, quatenus in veritate carnis quam ſumpſerat de virgine diceret eum, & crucifixum & ſepultum.

Quod verò nunc agitur in eccleſia myſteriũ eſt veræ illius carnis, in qua crucifixus eſt,

&

& dicit eſſe ſacramentum: patenter fideles inſtituens, quòd caro illa ſecundum quã & crucifixus eſt Chriſtus & ſepultus, non ſit myſterium ſed veritas naturæ. Hæc verò caro quæ nunc ſimilitudinem eius in myſterio continet, non ſit ſpecie caro, ſed ſacramentum. Si quidem in ſpecie panis eſt, in ſacramento verum Chriſti corpus, ſicut ipſe clamat, hoc eſt corpus meum. Mar.14.

Hinc dulciſsima illa concio in cœna plena eſt ſalutaris doctrinæ & veritatis, in qua ſeruator omniũ, qui ipſiſsima eſt veritas. Inquit, hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus. Luc.22. Quibus verbis verè realiter, idemtice, & ſubſtantialiter manifeſtant, in cœna verũ & reale Chriſti corpus dari geminoq́; eſu edi. Et oẽs à veritate hac nulla ratione patiantur ſe abduci. Nã & Chriſtus verax eſt, q̃a non eſt vt homo vt mentiatur, & eſt omnipotens qui ea quę affirmat, præſtare poteſt. Ideò Ambroſius ſubdit: In illo ſacramento Chriſtus eſt: quia corpus Chriſti eſt. Lib.1.de ſacramentis.

Igitur cùm ipſa Chriſti verba neq; ab ipſo figuratè dicta, neq; ab Apoſtolis ſecus interpretata ſint quàm de vero Chriſti corpore, vt Tharſenſis Apoſtolus clamat: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diſcernens corpus Domini. 1. Cor.11. Ideò Chriſtus affirmat hoc eſſe corpus ſuum, quod pro nobis traditur, & ſanguinem ſuum qui pro nobis effunditur. Mar.14.

Sed

Cauillus aduersariorum. cap. 17.

Sed Caluinus hoc ipsum esse Christi merita, quæ vnum conficiant, affirmat in institutione, & idcirco corpus & sanguinem Christi appellat.

Sed nos quidem neque inficiamur, ita appellari posse, sed petimus à Caluino quando hoc meritorum corpus in cruce fractum fuit, & huiusmodi fuit in terram sanguis effusus? Quid hoc commento ineptius posset excogitari, quid ab Christi verbis, ac sententia alienius? Valeant itaq; isti solertes verborum interpretes, atque inuentis suis glorientur, illisque adhærescant: At nos firmissimo Christi verbo innitamur, vt ab illo discedere cane peius aut angue ducamus. Propterea nihil ambigamus ipsum Dominum nostrum Iesum Christum verum corpus & sanguinem reliquisse communicandum. Nam huiusmodi corpus & sanguinem reliquisse Dominũ nostrum Iesum Christum ecclesia vniuersa Christi verbo edocta, etiã Apostolorum exemplo instructa, semper credidit, sub hoc sacramento accipere, quæ si erraret, ab ipso sponso suo iamdudum fuisset ab errore vindicata, aut si certè errauerit, quod minimè gentium conceditur, fœlicius cum Christo & Apostolis, quã cum Beringario Zuinglianis & Caluinistis errarit.

Super Ioannẽ cap. 18.

Si enim errat ecclesia, nõ in hoc tantum errat, vt addat, vel detrahat verbo Christi, sed errat credẽs verbo illius quod accedit ad elemen-

mentum & fit ſacramentum, inquit enim Auguſtinus. At Zuinglius ne dum errat in ipſo verbo, ſed pro ſuo arbitrio & addit & detrahit verbo, quod quã pernicioſum ſit, & Deo iniurium ipſe viderit. Sed nullo modo errare poteſt, qui cum Chriſti verbo innitatur, illud in eum ſenſum accipit, in quem eccleſia ab Apoſtolis accepit, & docuit. Ideo Yſidorus inquit. Panis quem frãgimus corpus Chriſti eſt, qui dicit, ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Vinum autẽ, ſanguis eius eſt, & hoc eſt quod ſcriptũ eſt: Ego ſum vitis vera, ſed panis quia confirmat corpus, ideò corpus Chriſti nuncupatur, vinum autem quia ad ſanguinem attinet, quia ſanguinem operatur in carne, ideò ad ſanguinem Chriſti refertur. Hæc autem duo viſibilia ſunt ſanctificata, tamen per ſpiritum ſanctum, in ſacramentum diuini corporis tranſeunt.

Libr.1. de officijs eccleſiaſticis cap.18.

Ioan. 6.

Ioan.12.

Sed Martyr validiſsimus Antagoniſta intuendo Cinglianiſmo, plura ex Ambroſio citat, & primùm inquit, nam Ambroſius dicit, Hic vmbra, hic imago, illic veritas, vmbra in lege, imago in euangelio, veritas in cœleſtibus: ante Agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nũc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo recipiens paſsionem, ſed offert ſe ipſe, quaſi ſacerdos vt peccata dimittat, hic in imagine ibi in veritate, vbi apud patrem, quaſi aduocatus pro nobis interuenit.

Cauillus aduerſariorum.

Libr.4. de offic. cap. 48.

Confutatio aduersariorum. Sed prô dolor inuēti sunt homines rabiosi furentes ex cupidine gloriæ qui patrum sententias eò vertunt, quò volunt, nunquā enim negatū est corpus Christi in veritate in cœlis esse, sed tamen negamus (quod dicunt hæretici) eum non esse verè & realiter in Eucharistię

Cauillus aduersariorum. sacramēto, & hoc ex Ambrosio. Sed hi rursus contēdunt, metaphoricè omninò Christi verba interpretanda esse, nam si iuxta orationis & verbi significationem interpreteris, illud aiunt, necessariò cōsequetur, vt quod de Christi ascensu ad cœlos, de illius ad patris dexterā assesione dicitur falsum sit. Traditur enim nobis regulis fidei, omnesq; confitemur Christū ipsum suo vero ac proprio corpore ascendisse ad cœlum. Ipsumq; quantum ad corpus attinet in vno loco esse, ita vt esse non possit verè & realiter in sacramento Eucharistię, derogat enim hoc corporis rationi.

Confutatio aduersariorum. Huius autem rationis vis induxit Brentium ad illā suam vbiquitatem, & omnipræsentiam, de qua alio in diplomate dicturus sum. Pro nunc tamen duo solùm aduertam, primùm differre corpus Christi à corporibus aliorum beatorum non tantum vt stella differt à stella in claritate, sed etiam in immensum, nam licet habituri simus corpora glorificata, non tamē erunt deificata, nec in vnam hypostasim coniuncta cum ipso Dei verbo, hoc tantum solius corporis Christi est. Quod

1. Cor. 15.

pri-

priuilegium non eſt omnium corporum glorificatorum (vt Caluinus inſulſe ſomniat) ſed ſolius corporis Chriſti, qui Chriſtus ſolus poſsidet & habet diuinitatis plenitudinẽ. Qui ſolus eſt, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abditi. Col. 2.

Alterum animaduertendum eſt, diuerſa ratione corpus Chriſti eſſe in hoc ſacramento, & diuerſa in cœlo. Nam etſi corpus Chriſti habeat dotes illas quatuor, ſubtilitatem, agilitatem, ſplendorem & impaſsibilitatem. Quas enim habebat dum viueret, etſi alia & alia ratione, quia erant ante mortem in Chriſti corpore per modum qualitatis tranſeuntis, ſed poſt reſurrectionem ſunt per modum qualitatis permanentis. Nam anima Chriſti ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beata, ſed ꝙ ipſius beatitudo ad corpus non redundaret, erat ex diſpẽſatione diuina, vt in corpore paſsibili adimpleret myſteriũ redẽptionis noſtræ. Eſt tñ corpus Chriſti in cœlo exiſtẽs per modum quãtitatis dimẽſiuę, de intrinſeca ratione cuius eſt, vt tantũ localiter ſit in vno loco. Nã omne corpus locatũ eſt in loco ſecundũ modũ quantitatis dimenſiuæ, prout commenſuratur loco, in ipſo autem Euchariſtiæ ſacramento nõ eſt ſicut in loco ſed per modum ſubſtantiæ. Et ideo conſiderandũ eſt aliqua eſſe in hoc ſacramento ex vi ſacramenti, & aliqua ex cõcomitantia (vt ſcholaſticorum notis vtar) ex vi enim ſacramenti in hoc ſacramento eſt illud, In homil. de tranſfiguratione.

in quod conuersio terminatur. Ipsa verò conuersio propriè & directè ad Christi corp⁹ terminatur, & hinc diuinitas & anima non sunt in hoc sacramento nisi ex reali concomitantia, sed non ex vi sacramẽti, quæ propriè est ad corpus Christi, ideò inuisibiliter & illocaliter, realiter tamen, est in sacramento, in cœlis autem est visibiliter. Sacramẽtaliter verò erit nobiscum vsq; ad consummationem seculi, et iuxta hanc interpretationem interpretati sunt

Luc. 22. patres sententiam illam, hoc est corpus meum & hic est sanguis meus.

Cauillus aduersariorum. Ioan. 12.

Sed clamant aduersarij, si corpus Christi est secundum realem præsentiam in sacramento Eucharistiæ quomodo verũ est, quod Seruator ait: pauperes enim semper vobiscum habebitis, me autem non semper habebitis.

Confutatio aduersariorum.

Eo enim sensu ista accipienda sunt, vt intelligamus, quòd discipuli & nos qui superstites sumus, cæteriq; alij, non essemus habituri ipsum in ea forma ac naturali specie, qua vixit in terris, quaq; est in cœlis, & qua tandem veniet ad extremum iudicium. In cœlo in naturali ac sua propria forma residet, in terris autem sub aliena forma panis & vini delitescit,

In libro sententiarum Prosperi.

ideò Augustin⁹ inquit: Hic enim visibilis species panis vocatur nomine carnis, & visibilis species vini appellatur nomine sanguinis: inuisibilis verò & intelligibilis dicitur caro Christi: quia secundum illam speciem nõ videtur caro, sed intelligitur, ita & sanguis.

Hinc

Hinc optimè dixerunt nonnulli, corpus Christi comparatur ad speciem & ad locum speciei. Ad speciem panis non comparatur sicut ad locum, sed quemadmodum ad signum continens signatum. Ad locum verò speciei comparatur, sicut ad locum, per accidens tamen, non per se, quia nō secundum se, sed specie mediante.

Agè exemplo significabo, quemadmodū anima comparatur ad corpus, & ad corporis locum: alia tamen atque alia ratione. Nam ad corpus comparatur vt ad perfectibile, non vt ad locum, quia locatum oportet vt sit à loco separatum, atque ad corporis locum per accidens, corpore dumtaxat mediante. Locū tandem per accidens dicimus configurari locato per se, non locato per accidens, quemadmodum locus hominis cōfiguratur corpori eius, non animæ. Libr. 4. physicorum.

Hinc locus speciei sacramentalis, configuratur speciei, non corpori Christi: Quod autem ipsum Christi corpus non sit in specie, sicut in loco, ea est ratio. Nam locatum comparatur ad locum secundum quantitatem suam primò & per se, nec substantia replet, aut occupat locum, nisi quantitate interueniente: corpus verò Christi cōparatur ad speciem, prout est quædam substantia primò & per se, & substantia panis est substantia corporis Christi. Qualitas verò corporis Christi, non est ibi nisi per accidens, quasi propter cōcomitantiam

ad ſuum ſubiectum. Non eſt ergo in ſpecie vt in loco, imò eſt ibi modo quaſi contrario ei quo locatum eſt in loco: & ratio eſt clariſsima. Nam ſubſtantia locata eſt in loco mediante propria quantitate, quę primò comparatur ad locum: Quantitas verò corporis Chriſti eſt ſub ſpecie mediante ſubſtantia.

Cauillus hæreticorum.

Sed quidam muſcitant, quia ita videretur ſimul in pluribus locis eſſe.

Confutatio aduerſariorum.

Huic ita occurrimus, quemadmodũ filius Dei per naturam diuinã habet triplicem exiſtendi modum in rebus: eſt namq; in omnibus per eſſentiã, in iniuſtis per gratiam, in natura aſſumpta per vnionem hypoſtaticam, ita & corpus Chriſti habet triplicem modum eſſendi in cœlo localiter, in verbo perſonaliter, & in Euchariſtia realiter ſacramẽtaliter & ita eſt in pluribꝰ locis. Sed Martyr fol. *643* tractationis de Euchariſtia, addit aliud ex Ambro. In edendo & potãdo carnẽ & ſanguinẽ Chriſti, q̃ oblata ſunt ſignificamus. Et cũ de calice & ſanguine loquitur, ait nos in typũ eius accipere calicẽ myſticũ. Addas inquit Martyr, ꝙ idẽ in his libris de ſacramẽtis apertè ponit mutationem noſtrã cum Chriſto, & in Chriſtũ.

Cauillus aduerſariorum. In expoſitione prioris epiſtolæ ad Cor. 10. Lib. 4. de ſacramentis cap. 4.

Confutatio aduerſariorum.

Celebre apophthegma eſt philoſophorũ, doctrinam ex veris extructam fundamentis, omnes cõtrarias obiectiones diſſoluere. Ideò ille qui veritatem ſimplici ſtudio quærit, de facili omnibꝰ occurrit, cognitio enim veritatis ſolutionẽ dubiorum ſecũ habet annexam.

Ideò

Ideò aduertendum eſt, triplicẽ eſſe eſum ſymbolorum, videlicet panis & vini.

Manducatio veri corporis, quæ eſt cõmunis pijs & incredulis. Ideò Cyprianus affirmat: Nec dùm Iudas ad veterẽ vitam pertinẽs diabolo inuadẽte, & occupante animũ eius aggredi cogebatur, ſed vbi ſacrũ cibum mens perfida tetigit, & ſceleratũ os panis ſanctificatus introiuit, patricidalis animus tunc cucurrit ad proditionem & pretium, ad deſperationem et laqueũ. Idq; etiam affirmat & Theodoretus: & non ſolum vndecim Apoſtolis, ſed etiam Iudæ proditori pretioſum corpus & ſanguinẽ impertiuit. Ideò exclamat Apoſtolus: itaque quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Et ſubdit: Hic eos pungit qui laborant ambitione, pungit autem eum quoque qui fuerat fornicatus, & cum eis illos qui eorum quæ idolis imolata fuerant abſq; vllo diſcrimine participes, præterea autem & nos qui cum mala conſciẽtia audemus diuina ſacramenta participare.

In ſermone de cœna Domini.

Super prioris epiſtolæ ad Cor. 11.

1. Cor. 11.

Et exponit verbum illud: erit reus corporis & ſanguinis Domini, hoc ſignificat, quòd quemadmodum tradidit ipſum Iudas, ipſi verò inſultauerunt, & eum probris & conuitijs affecerunt Iudæi, ita eum ignominia & dedecore afficiunt, qui ſanctiſsimum eius corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum & inceſtum os immittunt.

In glossa prioris ad Cor. cap. 11.

Tertius tandem esus est spiritualis, corporis Christi, qui tantum credentium est. Ideò Augustinus inquit, bonus accipit sacramentũ & rem sacramenti, ipsam scilicet efficaciam, seu effectum. Malus verò sacramentum, & nõ ipsam sacramenti efficaciam seu virtutem, ita vt sumant boni, accipiant mali ratione tamen differenti, mortis vel interitus, aut vitæ, bonus itaque vtranque Christi carnem accipit, malus verò tantum sacramentum, id est, corpus Christi sub sacramento & non effectũ seu rem spiritualem.

In annotationib. prioris ad Cor. epistolæ cap. 10.

Theodorus Beza hoc idem insinuauit de patribus veteris fœderis, inquit enim: Intellige verò baptizatos omnes fuisse, sed ita vt sola symbola nempe nubes & mare fuerint omnibus promiscuè communia, non autem res ipsa, sed tamen ipsorum culpa, non Dei, vt suprà etiam manifestauimus. Constat itaque à bonis & à malis sumi, à bonis ad salutẽ, à malis verò ad perniciem. Ideò Apostolus tam accuratè hortatur cunctos, probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat: Nam qui edit & bibit indignè, damnationem sibi ipsi edit, & bibit, non discernens corpus Domini.

Circa hanc sententiam immorandũ quodam modo, & non sine ratione erit, propter nefarias quorundam, & veras aliorum interpretationes. Nec mirum recens hæc ætas rerum nouarum ferax est: vt antiquitus Africa,

& reperiuntur artifices qui hanc ſententiam aliò trahant, & cauſæ ſuæ exuuias ſententijs non benè aliorum intellectis, proprijs phaleris accommodent, vt ſolent apud Plutarchum pueri, qui induunt grandes cothurnos.

Petrus Martyr poſt lõgum verborum apparatum quem ſtudioſè omitto, vt noſtro inſtituto inconueniens, folio *166.* inquit; neceſſaria res eſt. Non dijudicans corpus Domini, hic quoque propter tropum quod in antecedenti continetur, intelligendum eſt conſequens. Nam poſtquam rectè iudicauerit quiſpiam res, quas deprehenderit, aut dignas aut indignas, vel pretio habet, vel negligit, & duas in medium proponit ſolutiones. Cauillus aduerſariorum. Super expoſitionẽ prioris ad Cor.

Prior ea eſt: cùm inquit, verum ad hoc, vt de ſacramentis prudenter iudicemus, neceſſaria eſt fides, alioquin quid ea ſint minimè cognoſcunt. Sunt qui interpretentur, quod ſuprà dictum eſt, reos eſſe corporis & ſanguinis Domini: & illud quod in præſentia dicitur. Non dijudicare corpus Domini, de corpore myſtico, quod eſt eccleſia, eius quippè dicunt nos reos fieri, dum profitemur communicando membra eius eſſe, quùm re vera nõ ſimus, & de huiuſmodi corpore malè iudicant, quia ipſum quãtum ad ſe attinet, pollunt, ſed prior expoſitio inquit, Martyr ſimpiicior eſt, vt hęc ad verum corpus Chriſti referantur.

Sed dolendum eſt ex hac illuuie tam profanas ſordium hæſiſſe in chriſtianis reliquias: Confutatio aduerſariorum.

& primùm miramur, si ô Martyr ista referenda sunt ad verum corpus Christi, vt tu ipse fateris, operæpretium est, ibi in Eucharistia verè & realiter corpus Christi esse, vt suprà abundè apertum est, & mirum est quomodo multi excellentes viri, qui ita se venditant, vt nihil supra, in tanta errorum caligine detineantur in hac sacramenti huius tractatione, vt non intelligant quàm malè sibi hocipsorum dogma constet.

Theodorus Beza in eadem epistola.

Quidam alij inquiunt: discernere autē corpus Domini dicitur, qui dignitatis illius habet rationem, vt à cæteris rebus distinguat, ac perinde cum summa reuerentia ad hunc panem & hoc poculum, non tanquam ad profanos cibos, sed tanquam ad mysteria rei omnium pretiosissimæ tremens accedat.

Super expositione eiusdem loci.

Sed adhuc sub iudice lis est, an quùm Paulus nominet hoc in loco corpus Christi loquatur de vero Christi corpore realiter existente in Eucharistia, an non, & ideò aliundè veritas aucupanda est. Theodoretus vt hinc principium constituamus, postquam insinuauit ista intelligenda esse de vero Christi corpore realiter existente in Eucharistia subdit. Non solum enim illinc salutem non assequeris, si inique accipis, sed tuæ etiam in eum petulantiæ & iniuriæ pœnas dabis. Augustinus autem ait, indignè accipit, qui à cæteris cibis non discernit, vel fictus vel impænitens: reus erit, simile peccatum cōmittet, vt illi, qui eum

In expositione eiusdem loci.

cru-

cruci affixerunt. At illi cruci affixerũt verum & reale corpus Christi, isti itaque & idem corpus non discernunt, ideò Apostolus inquit, vosmetipsos probate, si estis in fide Christi:& alibi: opus suum probet vnusquisque. 2. Cor. 13. Gala. 6.

Sed inquiet quispiam: qua ratione potest esse verum illud quod Apostolus ait, quùm seruator dicat, qui manducat me viuet propter me. Dubium. Ioan. 6.

Ita fit satis, vt ex supradictis liquet, duplicem scilicet esse modum edendi hoc sacramentum, spiritualis dumtaxat & sacramentalis. Quidam ergo sumunt & manducant sacramentaliter, & spiritualiter, & isti charitatem participant, per quam est vnitas ecclesiastica, & de his loquitur seruator qui manducat me, viuet propter me. Solutio.

Quidam verò comedunt sacramentaliter tantũ, & de his loquitur Apostolus quũ inq̃t: iudicium sibi mãducat, & bibit nõ discernens corpus Domini: quia illud quod sacramentaliter manducat, corpus Domini est, & quod bibitur, sanguis Christi est.

Peccatur tamen in hoc sacramentum multis modis, primùm, vt si quispiam offerat aliũ panem quàm triticeum, vel alium liquorem quàm de vite.

Hinc detestanda est, vt Augustinus asserit Manichæorũ fraus, oĩa alimenta immũda esse propter malũ principem, & propter mali principij commixtioné, eaq; nonnullis execrãdis Libro de hæresibus cap. 40.

purgationibus adhibitis purgabant, & purificabant. Et hinc vt purificarent farinas Eucharistiæ purificatores ſcilicet, ſemen humanum admiſcebant, atque ea ſic purificata per ſeminis mixtionem ſacramentum execrandũ con-
1.Cor.8. ficiebant, nam Apoſtolus inquit. Omnia quidem munda ſunt, ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat. A nonnullis autem peccatur in hoc ſacramentum, quoniam tantùm aquam apponunt pro poculi conſecratione, vinumque negant eſſe miſcendum:
In libro de hæreſibus cap. 64. Quos Auguſtinus deteſtatur: Hi ab effectu aquarij vocati ſunt. Aduerſus hunc errorem manifeſta ponitur hiſtoria conſecrationis à
Mat.26. Mar.14. Luc.22. tribus Euangeliſtis. Hi omnes modum dominicæ paſsionis referētes inquiunt in calicis porrectione non bibam de hac generatione vitis quouſque bibam nouum in regno patris mei.

Etſi fortè fortuna quiſpiam paulò durior veritati aduerſaretur, fateretur q́; de alio quopiam liquore iſta intelligenda eſſe, ita defini-
Synodus Lateranenſis. tum eſt à patribus. Vna eſt fidelium vniuerſalis eccleſia, extra quam nullus omninò ſeruatur: in qua idem ipſe ſacerdos eſt ſacrificium Ieſus Chriſtus, cuius corpus & ſanguis in ſacramẽto altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continetur.

Cauillus hæreticorum. Martyr autem qui voluit omnia gloſis & interpretationibus ſuo modo interpretari: Parum ducit & concilium Romanum & Vercellenſe. Cum quoniam Vercellenſis ſynodus

non habetur in ecclesia tùm quoniam nimis crassam dicit esse palinodiam à Beringario recantatam, cui etiam & Caluinus suffragatur.

Sed non poterunt hi non fateri Beringarij errorē eum fuisse, quia negabat corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini verè & realiter contineri. Cum ergo palinodiam recantauit, consequens eum confessum fuisse illud quod concilia illa definierūt, corpus & sanguinem Christi verè & realiter contineri sub speciebus panis & vini.

Martyr autem detestatur synodum Constantiensem eò quoniam patres fregerunt fidem publicam datam Ioanni Husio & Hieronymo de Praga. Cauillus aduersariorum.

Sed hoc nihil ad rem videamus decreta, quoniam fractio fidei publicæ non spectat ad illa quæ sunt dogmata fidei, sed quoniam Martyr non potuit occurrere veritati, aliò tendit. Sed aduersus Martyrem clamat Cyprianus cum inquit: Hunc autem panem dari nobis quotidiè postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidiè ad cibum salutis accipimus, intercedēte aliquo grauiore delicto, dum abstinentes & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur, ipso prædicante & monente: Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi, si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum, panis quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita. Quando ergo dicit, in æternum viuere Confutatio aduersariorum. In expositione orationis dominicæ Ioan. 6.

ſi quis ex illo pane ederit, vt manifeſtum eſt eos viuere qui corpus eius attingunt & Euchariſtiam iure communicationis accipiunt, ita contra timendum eſt & orãdum, ne dum qui abſtentus ſeparatur à corpore Chriſti, procul remaneat à ſalute, comminante ipſo & dicente: Niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et ideò panem noſtrum id eſt, Chriſtum dari nobis quotidiè petimus, vt qui in Chriſto manemus & viuimus à ſanctificatione & corpore eius non recedamus. Ponit hic Cyprianus vt vident eruditi, & audiunt cuncti, eum à communione ſeparatum eſſe, qui etiam & à CHRISTI corpore ſeparatus eſt.

Cauillus aduerſariorum. Sed Martyr Conſtantienſi concilio in tractatione ſua de Euchariſtia folio *650.* opponit. Concilium œcumenicũ & generale Florentiæ celebratum in quo orientales (vt ipſe fatetur) noluerunt aſſentire imò reluctarunt, vt patet in bulla Eugenij: quæ incipit: exultẽt cœli & lætetur terra.

Confutatio aduerſariorum. Sed vt lectores videant quàm callidi ſint aduerſarij, cum quibus digladiamur, poterit videre in ſecundo tomo conciliorum folio *474.* Nam ibi quùm propoſitũ fuiſſet, vt quatuor quæſtiones examinarẽtur, ſummus pontifex petijt, vt de diuina panis tranſubſtantiatione ſeu tranſmutatione ageretur: quæ quidẽ quarta quæſtio fuerat. Orientales reſponderunt

runt se sine totius orientalis ecclesiæ auctoritate nō posse quæstionem illam tractare cum primò illa tátum synodus pro dissidio de spiritus sancti processione conuocata fuerit. Nec propter hoc vt Martyr fatetur, nec refragati sunt, imò dixerunt, se velle tamen Imperatori referre.

Sed Martyr qui tam diligens synodorũ examinator fuit, cur non aduertit in synodo Romana definitum fuisse, esse sub specieb⁹ panis & vini verum & realiter corpus & sanguinem Christi. Quam rem etiam lepidè Arnobius insinuauit, quùm ait, confessio trinitatis & magnificētia deitatis opus eius: iustitia eius immutabilis perseuerat in secula seculorum, in qua iustitia memoriam fecit mirabilium suorum dicens: Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis. Quãdo hoc dixit misericors & miserator Dominus: tunc sine dubio, quando dedit escam corporis sui timentibus se, & per hoc testamentum memor erit Dominus in æternum, per quod virtutem operum suorum annũciauit populo suo, & ideò Apostolus inquit, iudicium sibi manducat, & bibit non discernens corpus Domini.

Super psal. 109.

Mat. 26.

Illi enim corpus & sanguinẽ Christi in hoc sacramento non discernunt, qui nõ exequuntur illa quæ à seruatore omnium Christo precepta sunt in Eucharistia offerenda. Quod in veteri fœdere significatum fuit, quũ Nadab & Abiud filij Aaronis corã dño alienũ offerrent ignem:

ignem: Qui ignis egressus à Domino illos deuorauit.

Super expositione prioris ad Cor. 11.

Athanasius circa illud iudicium sibi manducat & bibit non discernens corpus Domini, Corinthios arguit, quia inopes aspernabãtur, & qui indignè mysterij huius virtutem participassent, non secus qui id indignè sumpserit, sceleri erit obstrictus, quàm si sanguinem ipsum Domini fuderit, nam quemadmodum constat, qui tunc Dominum pupugerunt, nó potandi gratia pupugisse, sed vt effunderent eius sanguinem, sic & qui indignè hunc hauserit, nullum ex eo fructum adeptus frustrà ac temerè Christi sanguinem fundit. Atqui Iudæi Regis chlamydem desciderunt, qui vero immerito sanguinis particeps fuerit, in cœnũ suam animam mergit. Ita fit vt æquè ob id & Iudeis & indignè Christi sumenti sanguinem obueniat ignominia. Vnde & corporis hic & sanguinis Domini reus efficitur, eritque tanto obnoxius crimini. Ex hac aurea & melliflua tanti patris sententia, colligere poterunt docti pariter, & indocti, reos ideò factos fuisse Iudæos, quia verum & realem sanguinẽ Christi fuderint, non sanguinis laruam aut figurã, illudq; idem minatur & nobis Apostolus.

Hanc etiam sententiam & Theophilactus adducit, quam omitto, ne Martyr dicat ipsum ideò dixisse, quia ingenio non pollebat. Sed audiamus Chrysostomum cuius sententiam Martyrem credo amplexurum, inquit enim:

Quid

Quid tandem? Quoniam effudit illum, etiam cędem id esse ostendit, non tantum sacrificiū. Quemadmodum tunc transfixerunt sed vt effunderent: ita qui indignè communicant: nullum inde fructum cōsequuntur: & post multa subdit. Quum ad Christi mensam discubueris, in die illa qua carnem eius lingua attingere dignatus es? Quid muscitant Caluinistæ & Martyriani negantes corpus Cristi non manducari manducatione corporali, audiunt nūc clarè Chrysostomum dicentem, quà carnem eius lingua attingere dignatus es? qui etiam subdit. Ne igitur hæc fiant, dexteram tuam, linguam, labia considera, quo pacto vestibulum Christo facta sunt, vt ingrediatur: considera quo tempore accedis, & cū sensibilem mensam apponas, ad illam mensam, cœnam dominicam, ad discipulorum vigiliam in illa sancta nocte animum dirige.

In expositione eiusdem loci.

Ambrosius duo asserit: primum hoc est: deuoto animo & cum timore accedendum ad communionem docet: vt sciat mens reuerentiam se debere ei: ad cuius corpus sumendum accedit, non dicit Ambrosius ad figuram corporis, sed ad cuius corpus sumendum accedit, ideò subdit. Hoc enim apud se debet iudicare: quia Dominus est: cuius in mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficij Dei. Quē nos si cum disciplina accipimus: non erimus indigni corpore & sanguine Domini, non ait figura seu tropo, vel signo corporis & sangui-

In expositione eiusdem loci.

guinis Domini.

1. Cor. 11. Alterum quod apponit, id est, super illud, ideò multi in vobis inualidi & ægroti & dormiunt multi. Vt verum probaret: quia examen futurum est accipientium corpus Domini: iam hinc imaginem iudicij ostendit in eos qui inconsideratè corpus Domini acceperunt, dum febribus & infirmitatibus corripiebantur: & multi moriebantur: vt in his cæteri discerent: & paucorum exemplo territi emendârentur: non multum scientes corpus Domini negligenter accipere: & eũ quem hic pœna distulerit grauius tractari, fore: quia contempsit exemplum.

Cauillus aduersariorum. Qum autem Martyr huius sanctissimi sacramenti miracula deridet ac ferè pro nihilo habet, duplici vtitur ratione, prior ea est, quia Gregorius Nasianzenus carmine omnia seruatoris miracula descripsit, tamque accuratus scriptor istorũ nulla ratione meminit, idemque posteriori ratione probat ex Augustino, qui de mirabilibus mundi sermonem habet, & nihil de hac re dicit.

Confutatio aduersariorum. Sed videant eruditi, an ratio negatiua valeat, & ad aliud accedamus.

In expositione eiusdem loci. Hieronymus eandem patefacit doctrinam superius positam quũ inquit. Commonemur quia corpus & sanguis Christi est, vt beneficijs eius non existâmus ingrati, non dicit figura corporis & sanguinis, & ideò subdit, vnde oportet otiosum cessare à vitijs, vt sanctum

Domi-

Domini corpus ſanctè percipiat, ſin ſec⁹ egerit, reus erit corporis & ſanguinis Domini, & ſubdit, ſi in linteum, vel vas ſordidum, non illud mittere audet, quanto magis in corde polluto, quam immunditiam Deus ſuper omnia execratur: nam et Ioſephus ille iuſtus propterea ſyndone munda inuolutum in ſepulchro nouo corpus Domini ſepeliuit, præfigurans corpus Domini accepturos, tam mundam mentem habere debere quàm etiam nouam. Apta ſimilitudo & erudita Mar.15.

Audiamus etiam & ipſum Dei filium apertis verbis & claris pronunciantem. Accipite & manducate, HOC EST CORPVS MEVM, quod pro vobis frangitur, & hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur. Nulla hic de pane, vino, aut ſigno nota auditur, & in hac re nihil temerè iudicandum, aut ſomniandum eſt, ſed verbo Dei adhærendum: tametſi aliter videas atque illud oſtendat, ſed captiuandus eſt intellectus in obſequium fidei, nam fides nõ habet meritum vbi humana ratio præbet experimentũ. Credendo in ſpem fidei contra ſpem, ſenſum verbo reclamantium iuſtificãtur fideles, cum nemo iuſtificari poſsit, præter eum qui verbo Dei credit. Credenti inquit Apoſtolus, in eũ, qui iuſtificat impium, atq; in eo verbo conſtãtiſsimus perſtat, aliud videns aliud credens. Quod ſi Euchariſtiæ ſacramẽtum purus panis aut ſimplex vinũ eſſet, fides in quo exerceretur, nihil haberet, nec Mat.26. Rom.4.

illud præterea ritè sacramétum appellaretur.

Proprium enim sacramenti est, vt fidem nostrã exerceat, tum vel maximè huius, quo verum Christi corpus verumq; sanguiné cum illius anima & diuinitate (ex concomitantia vt dictum est) coniunctum contineri credi-
Mar.14. mus ipsius edocti verbo, qui dixit: Hoc est
Luc.22. corpus meum, & hic est sanguis meus.

Cauillus aduersariorum. Sed clamant, quibus omnis veritas inimica est, se hanc Christi regulam tenere, seq; tãtum ex Christi verbo iudicare de sacramento Eucharistiæ, quod sit simplex panis & simplex vinum, & symbola illa nullo modo continere corpus & sanguinem Christi verè & realiter
Ioan.6. insuperq; ipse seruator testatus est carné nulla ratione prodesse, sed spiritũ esse eum qui viuificat, vt quid ergo Christus id faceret, qui frustrà nil agit? His rationibus & Martyr & Caluinus vrgent non esse reale corpus Christi in sanctißima synaxi & Eucharistia, sed solum signum quoddam & seruatoris memoriam.

Confutatio aduersariorum. Verùm in his rationibus non tam hæreticorum studium, verum etiam & dæmonis institutũ tale est, vt ipsum Deum peruersè æmu-
Luc.22. letur. Nam docet Deus: hoc est corp⁹ meum,
Mar.4. docet & sathanas hoc est figura, typus & symbolũ corporis mei: seminat Deus bonum semen: superseminat sathanas. Instituit sacrificia Deus, erigit altaria, arcam & propitiatoriũ: constituit ille similiter sui similis semper futurus

turus id est, peruersus Dei æmulator sacrificia instituit, altaria erigit, vt idola colantur. Idem his artibus hæreticos seducit, cũ peruerse Dei verbum interpretãtur, & illud à genuino sensu in adulterinum inducit, quod vt altius omnib⁹ pateat ipsa Christi verba repetenda sunt. Christus multa cõcionatus fuerat de esu suæ carnis, & de potu sui sanguinis: quæ post modum sub panis & vini sacramento in suprema cœna à nobis discedens, legaturus erat. Quam rem quùm ex discipulis eius nonnulli audiuissent non credentes, nec tanti mysterij abdita secreta intelligentes, ea concione quàm maximè offensi sunt, atque dixerunt. Durus est hic sermo, ecquis eũ ferret? factumque est vt sese ab illius consetudine sine caussa amouerint: Hoc verò scandalum non inde solum ortum est, quod ignorarent, quomodo posset carnem suam ad manducandum, & sanguinem suum ad bibendum dare multis. Ioan.6.

Hoc enim longo apparatu tres euangelistæ concordi sentẽtia describunt. Accepit Iesus panem & gratias agens, dedit dicẽs, hoc est corpus meum: & hic est sanguis meus: idem etiam & Apostolus insinuauit. Ideò Cyprianus Martyr inquit: Qui manducat ex hoc pane, vltra non esurit: qui bibit, vltra non sitit, quoniam mysterij huius hic sufficit gratia, sic deficit intelligentia, vt cuicunque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine inuento Christi baiulus ipsum ferat in pecto- Mat.26. Mar.14. Luc.22. 1.Cor.11. Ioan.6. In sermone de cœna Domini.

pectore, ipsum gerat in mente.

Cauillus aduersariorum. Super Matt. 15. Neque tamen prætereũdum est illud quod Martyr in sua de eucharistiæ tractatione affert ex origine, vbi interpretatur illum locum, nõ quod intrat in os coinquinat hominem. Et inquit: si non coinquinat neq; etiam sanctificat. Aduersariorũ instantia. Cæterum quid dicemus de pane dominico? Num est verũ, quòd neq; sanctificet, neque coinquinet? & post multa addit, quod itaque materiale est in pane Domini, in ventrẽ transmittitur, & in secessum eijcitur.

Confutatio aduersariorum. O impias & execrãdas voces. Non hoc putat aut credit ecclesia. Illud enim propriũ est illius cibi quo corpus alitur, atque nutritur in hac vita mortali. Hic verò cibus & hic potus non terrenus est, aut terrenæ substantiæ, sed cœlestis & supersubstantialis est. Et ideò Cyprian⁹ martyr acclamat, inter dominicę mensæ conuiuas animalis homo non admittitur, In sermone de cœna Dominica. quicquid caro & sanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur, nihil sapit, nihil prodest, quicquid humani sensus moliuntur, quicquid à suis rationibus sapientes huius seculi, deuium vidẽt ad dementiam referunt, & à veritate reputant alienũ: ideò sub diuersis speciebus, signis tantum, & non rebus, latent res eximiæ. Veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potest, & cum in sole vult figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata est, & non illuminata humana præsumptio, & aspectui eius lippitudo inhæsit. Panis est enim qui è cœlis de-

ſcendit, quippe non dentibus, ſed fide frangitur. Nec tu me mutabis in te ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. Non in ventrem, ſed in cor & in animã traijcitur, & virtute diuina etiam ipſa caro ad incorruptibilitatẽ alitur, hoc ipſo alitur vir chriſtianus ad immortalitatem animæ vitam æternã præſtat, & corpori reſurrectionem, & incorruptionem, nõ corrumpitur hic cibus & potus, imò ſeruat & viuificat à corruptione ſumentes. Non quemadmodum comederunt patres veſtri manna in deſerto, & mortui ſunt, qui manducat hunc cibum, viuet in æternum. Ioan. 6.

Sed multa adhuc conſideranda ſunt circa dignitatem tanti ſacramenti. Tria enim ordine videbimus. Primum nomina tãti ſacramenti. Secundum verba. Tertium verborum intellectum, & ita colophonem huic priori parti imponemus.

Nomen igitur quo primum appellatum eſt hoc ſacramẽtum ab ipſo Dei filio, non eſt panis, neque vinum. Teſtamẽtum, Euchariſtia, Sacramentũ, myſterium, communio, agapis, cõmemoratio & cœna. Sed potius eſt: Hoc eſt Mar. 14. corpus meum. Hic eſt ſanguis meus: Hoc ergo nomen erit nomen proprium huius ſacramenti, & ab hoc nomine diſcedendum non erit: Imò ab ipſo diſcendum eſt, quæ nam ſit iſtius vera & realis natura, quæ nil aliud eſſe poteſt, quàm ipſum verũ Chriſti corpus & ſanguis. Ab alijs verò nominibus, quæ ſuprà de-

ſcripſimus, non eſt inquirenda natura & realitas eſſentiæ huius ſacramenti. Ea enim vnico illo ſibi à Chriſto impoſito nomine declaratur, ſed potius ab iſtis proprietates & effectꝰ quidam declarandi ſunt. Ea autem deductio ita fieri debet, vt non modo non deſtruatur veritas naturæ, & eſſentia Dei, ſed potius vt aſſeueretur & ſtabiliatur, & ideò, natura & realitas proprij nominis huius ſacramenti nil aliud eſt, quàm verum & reale corpus Chriſti, & ſanguis verus idemq́; realis, quæ ab ipſo nomine ſortitur ethimologiam. Eſt enim animaduerſione dignum. Nam illa quæ duplici natura conſtàt, duplex etiam nomen ſortiuntur, vt altera ab altera quandoque ſecerni poſsit. Sed quoniam propter ipſam vnionem & coniunctionem naturarum quædam affinitas inter ipſas cõtrahitur, ita etiam propria nomina inuicem mutuantur. Quemadmodum Chriſtus conſtat ex natura diuina & humana, propterea Deus & homo appellatur. Quia verò in coniunctione naturæ humanæ ad naturam diuinam facta eſt vna Chriſti perſona. Hinc fit, quòd Deus etiam homo dicatur, & homo Deus. Tanta enim eſt duarum illarum naturarum vnio inquit Auguſtinus, vt ſi vnũ de altero prædices non erres, factus itaque eſt Deus homo, vt homo fieret Deus. Ipſe quoq; homo cùm ſpiritu & carne cõſtet, & ſpiritualem appellamus illum, & carnalem. Sed ob vnionem animæ ad carnem, quandoque ſecun-

In libro de fide ad Petrum.

cundum ſpiritũ appellatur carnalis, & ſecundum carnem ſpiritualis.

Hoc autem quod de Chriſto confeſsi ſumus, aſſerimus etiam & de hoc Euchariſtiæ ſacramento. Conſtat enim ex re ſacra & ſpirituali, & inuiſibili, quæ eſt corpus Chriſti, & ſanguis & ex ipſa re viſibili, pane dumtaxat & vino, ita vt ſi vnum iſtorũ defuerit nulla ratione ſit, neque eſſe poteſt ſacramentũ, quemadmodum orthodoxè faſsi ſunt patres. Et quemadmodum nec Chriſtus verus eſt Chriſtus, ſi ab eo vel diuinitas vel humanitas defuerit, nec homo appellari poteſt homo, ſi vel corpore, vel anima caruerit. Sic etſi Chriſtus ſit ex gemina re cõſtitutus, diuinitate ſcilicet & humanitate, ita vt quemadmodum homo (inquit Athanaſius) ex anima rationali & corpore conſiſtens vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Sed ſi Chriſto deerit humanitas tantum erit Deus. Ita ſi deerit diuinitas ſolum erit homo. Ita ipſe homo ſi anima caruerit, ſolum erit cadauer: Et ſi corpore caruerit, tantum erit anima. Ita & ſacramentũ ſi caruerit re ſua inuiſibili, ſignũ ſimplex erit, ſi verò ſigno, res tantum erit.

In ſymbolo.

Ad verum igitur germanumq; conficiendum ſacramentũ neceſſe eſt, vt res ſigno coniungatur. Cum ergo huiuſmodi germanitatem habeat res cum ſuo ſigno, & ſignum cum ſua re in hoc ſacramento, ſibi etiam inuicem propria nomina accommodant: Ita panis &

vinum appellentur corpus, & ſanguis, & corpus, & ſanguis, panem & vinum nominentur. Huiuſmodi verò appellationes etſi impropriæ ſint, veræ tamen ſunt, vel ob ipſam affinitatem, vel propter myſticam ſignificationẽ.

Quis enim ignorat panem & vinum non eſſe corpus, & ſanguinem Domini, nec è contra corpus & ſanguinem eſſe panem & vinum, ſed affinitas & communio quam habẽt ad inuicem, & ipſa myſtica ſignificatio facit, vt nomina ſint communia. Hoc autẽ illud eſt quod Auguſtinus docet inquiens, ſi ſacramẽta quandam ſimilitudinem earum rerum quarũ ſunt ſacramenta non haberent, vtique ſacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine, plerunque etiam ipſarum rerum, quarum ſunt ſacramenta nomen accipiunt & rectè.

In epiſtola ad Bonifacium.

Et quoniam multi hæretici noſtri temporis hanc diſtinctionẽ ignorant, & quidam ipſam non aduertunt, in errorẽ cæcutiendo prolapſi ſunt. Nam quia ab Apoſtolo intelligunt, hoc ſacramentum appellari panem: Et à patribus ſignum corporis Chriſti audiẽtes, reiecta veritate ipſius corporis dixerũt, eſſe panem ſimplicem, & nudum & exile ſignum.

1. Cor. 11.

Alij verò audientes corpus eſſe Chriſti, res ipſas ſacramentales, panis ſcilicet & vinũ, non erubuerunt aſſerere talia eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti, non ſecus facientes ac illi, qui audientes Chriſtum eſſe hominem Ioſephiq; filiũm ipſius diuinam naturam negauerũt. Et rur-

Ioan. 6.

rurſus alij illum Deum eſſe legentes, ipſius humanitatem negauerunt. Non aliter, ac ſi quiſpiam diceret hominem totum, vel ſpiritalem eſſe, quia ſpiritalis nominatur, vel totum ipſum appellet corpus, quia & corporeus eſt. Quis enim appoſitè talia dicentem non dementem dixerit, ac iure ſtupidum nũcupabit? Qui ob ipſam nominum communionem errāt, vt in hoc ſacramento, quod appellatur itaque inprimis corpus Chriſti, quod traditum fuit, & ſanguis qui effuſus eſt in remiſſionem peccatorum noſtrorum: quia re vera continet idipſum corpus, & ſanguinẽ, poteſtate diuina & cõmunicat ſecundũ ipſius ſubſtantiã, ſecundum quam iam amplius nõ eſt panis, neq; vinum, ſed ipſum Domini corpus & ſanguis. Luc. 22.

Hoc autem ſacramentum corpus & ſanguis Domini appellatur, panis & vinum, ſed impropriè tamẽ, quemadmodum hominem terram appellare conſueuimus, quia ex terra ſit formatus, cum tamen non ſit terra, ſed caro: ita corpus & ſanguis Chriſti panis nuncupatur & vinum, quia hoc (vt verbis ſcholæ vtar) ſacramentale ipſius corpus ſcilicet non niſi in pane & vino cõficitur. Quamuis ipſum non ſit nec panis, nec vinum, ſed vera caro & verus ſanguis.

Panis etiam & vinũ dicitur Chriſti corpus, & ſanguis myſticè. Ego ſum panis viu' qui de cœlo deſcendi, vt ſi quis ex illo mãducauerit, nõ moriatur in æternum. Nam quemadmodũ Ioan. 6.

Deus, hæc duo elementa ad hanc vitam temporalem ſuſtentandã nobis tradidit: ita Chriſtus, vt vita potiremur æterna, dedit ſuis fidelibus carnem & ſanguinem ſuum.

Panis & vinum, Chriſti corpus & ſanguis appellantur, ſed inconcinnè, cum huiuſmodi faciem & figuram non habeat verum Chriſti corpus & ſanguis: Sed propterea hoc nomen ſortita ſunt, quia ſub illis latitat verum corpus, & verus ſanguis Chriſti. Appellãtur vtique Chriſti corpus & ſanguis panis & vinum, ſed myſticè, in ipſis enim adumbratur & deliniatur Chriſti corpus myſticum, quod eſt eccleſia, adumbratur inquàm, & nõ continetur,
1.Cor.10. neque confertur, vnus enim panis multi ſumus qui capiti noſtro Chriſto, & inuicem in vnum corpus cohæremus, & coagulamur: Ita vt membrum glorietur cum capite dicens, viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Cognoſcit enim ſe in hoc pane & vino conſecratum, in cibum & potum Dei: vt ex-
In libello de ipſius obitu. clamat Ignatius, panis Chriſti ſum. In hoc cibo membra capiti ſuo obſequũtur, in hoc dicêre mutuum amorem, dum omnes de vno
1.Cor.10. pane & de vno poculo participamus. Hinc cor vnum & anima vna, vna fides, vnum baptiſma, vnus mediator, & vnus Deus cognoſcitur & colitur ab eccleſia, & hinc myſterium fidei ab orthodoxis dicitur. In hoc etiam ſacramento velut in arcano abdito, & procul à ſenſibus noſtris carnalibus remoto myſterio,

verum

verum Christi corpus agnoscit, & sanguinē, et in ipso fidei mysteria addiscit, & velut in palestra sese exercet. Hoc eñ velut in ænigmate videt, qualísnam sit Christus erga seipsum, & rursum qualē sese illi exhibere debeat, quàm scilicet arctissimè & efficacissimè diligatur à Christo, & quàm ardēter & iugiter Christum & proximum diligere debeat.

Quantum verò ad illud quod secundum in ordine tractandum est, sunt ipsa verba quæ ab euangelistis tractantur. Accipiens inquiunt panem, quùm egisset gratias, dixit, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus. Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Sed dubitabit quispiam, cur seruator Christus Iesus sub alia specie carnem & sanguinem tradiderit. Dubium.

Quærit etiā alius, cur sub duplici specie voluit cibare hominem, nónne satis erat cibare hominem sub vna tantum specie. Quæsitū.

Quantum attinet ad priorem dubitationem dicimus, plurimis de caussis hoc seruatorem egisse, quarum vna est, vt scilicet fides haberet meritum. Quia fides non habet meritū, vbi humana ratio præbet experimentum, & ideò etiam ne abhorreret animus: quod cerneret oculus, quia nō habemus in vsu (inquit Gregorius) carnem crudam comedere & sanguinem bibere. Quia ergo Christum vorari dentibus fas nō est in mysterio carnem & sanguinem commendauit. Dilutio prioris. homi. 26.

Augustinus etiam aliam caussam assignat, In libro de doctrina Christiana.

quum ait: Nihil rationabilius, quàm vt sanguinis similitudinem sumamus: & vt ita veritas non desit, & ridiculum nullum fiat à paganis, quòd cruorem occisi hominis bibamus. Ne ergo hoc fieret, & ne veluti quidam horror esset cruoris: in similitudinem accipimus sacramentum, dabo manna absconditũ, & nomen nouum. Quantum ad quæsitũ secundum dico, ideo factum fuisse, vt insinuaret nobis totam humanam naturam assumpsisse, vt totam redimeret, panis enim ad carnem, & vinum refertur ad animam, vinum enim sanguinem operatur in quo sedes est animæ (vt physici affirmant) ideò Ambrosius inquit. Valet enim ad tuitionẽ corporis, & animæ quod percipimus, quia caro Christi pro salute corporis, sanguis verò pro anima offertur, quemadmodũ præfigurauit Moses. Caro inquit, pro corpore vestro offertur, sanguis verò pro anima, ideò & Hilarius ait, eadem ratio est in corpore Christi, quæ & in mãna pręcessit, de quo dicitur qui plus collegerat, non habuit plus nec qui minus parauerat, habuit minus. Et licet sub vtraque specie totus sumatur, tamen nõ debent dici duo sacramenta, sed vnum, quia sub vtraque specie idem accipitur. Neque debet iterari sacramentum, quia benedictio non repetitur super speciem eandem. Neque aliæ substantiæ in sacrificium veritatis offerri debent, quia de alijs non potest consecrari corpus Christi, vel sanguis.

Apoc. 5.

In libr. de sacramentis.

Exo. 16.

Leuit. 14.

Exo. 16.

Ap-

Appellatur ſacramentum Euchariſtiæ cœna Domini & menſa & conuiuium, in quo ſeſe nobis exhibens Dominus dominantium, & Rex regum, omnia ſua bona cõmunia ipſis communicantibus offert. Cœna inſuper Domini appellatur, non propterea, quòd vel illa tantum hora vel quod non niſi ab opiparè ſaturis & vino ebrijs celebrari debeat, cum nec tempus præſcripſerit Chriſtus, ſed illud eccleſiæ arbitrio demandauit, dicens. Hæc quotienſcunque feceritis. Mar.14.

Sed cœna Domini dicitur, quia hæc, quæ nunc celebratur in eccleſia, eadem eſt quæ celebrata fuit à Chriſto cum diſcipulis, licet nõ eodem tempore & hora celebretur. Non em̃ hic alia eſca, & alius potus proponitur, ſed oẽs quotquot ab ipſius cœnæ inſtitutione vſque nunc, & ad diem quoq; iudicij hoc ſacramentum ſumpſerint, non niſi illam Domini cœnam celebrant, & omnes eandẽ eſcam & eundem potum ſumunt, vt ſeruator ait, comedite ex eo omnes. Luc.22.

Hic corripiendi nonnulli ſunt, qui adhuc crapulam redolentes ad huiuſmodi ſacramentum ſub cœnę prætextu accedũt: imò ab Apoſtolo redarguuntur. An nõ habetis domos ad manducandũ & bibendũ, & eccleſiã Dei contemnitis? ideò ſtatutũ eſt ab eccleſia vt nõ niſi à ieiunis accipiatur, & ſi dixerimus originem hãc ab Apoſtolis manaſſe veritati cõſulimus. Aſſerit enim Tertullianus: Plinium Traiano 1. Cor.11. In Apologetico.

Impe-

Imperatori scripsisse de christianis, ante lucanis cœtibus conuenire, vt simul cibum capiāt, & hymnos Christo cuidam canant.

Eucharistia nuncupatur gratiarum actio, hæc autem talis vita per solā participationem corporis & sanguinis Domini percipitur, testatur hoc asylum nostrum Christus. Sicut
Ioan.6. ego viuo propter patrem, & qui mādučat me, & ipse viuet propter me. Ac si diceret, illam vitam viuet, quicunque ederit meam carnem, & biberit meum sanguinem, qua ego viuo, q̄a pater in me est. Sic enim & oleaster suæ oliuæ
Rom.11. insitus eodem vitali succo alitur, quo ipsa oliua, cui est insitus, per manducationem verò carnis Christi inserimur, ita vt ipse in nobis, & nos in illo maneamus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.

O verè perfectæ vnitatis sacramētum propter hoc sacramētum Christo gratias agimus, dum eius mortem annunciamus.

Sacrificium insuper & hostia & oblatio appellatur ab Apostolis, & à patribus. Cumque hoc sacrificiū corporis Christi iuge sit & perpetuum, qua quæso fronte audent impij, nomen huiusmodi ab illo auferre, nisi vt hoc pacto omnem memoriam tanti sacrificij penitus aboleant? Sed clamant adhuc anseres, seruator non dixit: Sacrificate, vel imolate, & offerte, sed dixit: Accipite, & manducate, & bibite: vbi ergo est offerendi mandatum?

Cauillus aduersariorum.

Audi-

Audite mandatum, accipite & manducate, hoc est corpus meum quod frangitur, accipite, & bibite, hic est sanguis meus qui effunditur. Quid est quod frãgitur, & quid effũditur, nisi quod mactatur & imolatur? dedit itaque seruator corpus suum, & sanguinem suũ edendum, bibendum, mactandum atq; sacrificandum. Nam nec sacrificia Mosis, hoc sacrificiũ deliniantia edebantur, priusquam mactarentur & offerrerentur. Hoc ergo facite in meam commemorationem. Confutatio aduersariorum. Exo.12.

Vocatur etiam cõmunio, & verè est, quia per ipsam cum Christo coniungimur verè, & carnis ipsius atque diuinitatis participes efficimur. Coniungimur autẽ non voluntate tantum & fide: Sed esu ipsius carnis, in qua ipsa plenitudo Dei inhabitat, semetipsum nobis commiscet, & non fide tantum, verum & ipsa re nos suum efficit corpus, vt Chrysostomus ait. Luc.22. In expositione super Ioan. cap.6.

Et vt tertium quod & vltimum est absoluamus, ne videar aliquid mihi ex meo capite finxisse, grauissimorum & antiquissimorum patrum sententijs subscribam: quæ nostram confirmabunt & sigillabunt. Cyrillus enim super illud, ego claritatem, quam tu dedisti mihi, dedi eis, vt vnum sint nobiscum, sicut ego & tu vnum sumus, ita scribit. Corporaliter filius per mysticam benedictionem nobis vt homo vnitur, spiritualiter autem vt Deus, sui spiritus gratia, nostrûm ad nouam vitam, Ioan.12.

&

& diuinæ naturæ participationem ſpiritum redintegrans. Nexus igitur vnionis noſtræ ad Deum patrem Chriſt⁹ eſt nobis, ſiquidem vt homo, Deo autem patri, vt Deus naturaliter vnitus. Nõ erat enim poſsibile corruptioni ſubiectam hominis naturam ad immortalitatem conſcendere, niſi natura immortalis atque incommutabilis ad eam deſcendiſſet, ac communione participationeq́; ſui à mortalitatis noſtræ terminis ad ſuum bonum reformatos eleuaret. Conſummati ergo ſumus, redactiq́; ad communionem Dei patris, mediatione ſeruatoris Chriſti, filiũ enim Dei natura patri vnitũ corporaliter cõſubſtantialiterque, vt dictũ eſt, accipientes (ſub myſtica nempe benedictione) clarificamur, glorificamurq́; ſupernæ facti naturæ participes.

Aduerſus Caluinũ. Qua ſententia videant Caluiniſtæ, an clarius & doctius demõſtrari quicquam poterat, vt cerneremus nos veram Chriſti carnem accipere & manducare, & verum Chriſti ſanguinem bibere, non fide tantum ſed corpore, non mente ſolum, ſed ore.

In oratione cachetica. Si quiſpiam verò aliud deſiderat Gregori⁹ Niſſenus pleniſsimè illud explicat, inquit enim: quemadmodum qui per inſidias venenũ hauſerunt, alio medicamento vim illius extinguunt. Oportet autem vt ad veneni ſimilitudinem medicamentũ in viſcera ingrediatur, vt per illa totum in corpus auxiliũ diffundatur. Ita nobis faciendum eſt, vt cùm venenũ quo

natu-

natura nostra dissoluitur gustauerim᷒, medicamentũ quo illa contrahitur, suscipiamus, vt virtus illius cõtraria, & oportuna huius vi dissoluatur. Quodnam hoc medicamẽtum? num aliud nisi corpus illud, quod morte præstantius declaratum est, & nostræ salutis causa. Quemadmodum enim parum frumẽti, vt ait Apostolus, totã massam sibi similem reddit, sic & corp᷒ Christi in nos immissum facit. Cũ aũt nullum aliud corpus eam gratiam susceperit, demonstratumq́; sit, fieri non posse, vt nostra corpora consequantur immortalitatẽ, nisi cũ immortali corpore coniungantur, atq; ita incorruptionẽ acquirant, idcirco patres cõstantissimè censuerunt, per carnẽ Christi sub mystica benedictione contẽtam, carni nostræ naturam suæ ipsius carnis conferri, & in illius naturam ipsam transmutari: Hoc enim pacto ecclesia verè os de ossibus eius, & caro de carne eius dicitur. Neque amplius iam sunt duo, sed vna caro, & caro de carne eius dicitur. Sic enim Deus nos Christo per illius carnem annectit & coniungit, vt vnum simus cum illo, vna & eadem vita viuificati, & eiusdem naturæ participes effecti, quo fit vnio huiusmodi non sit animorum & voluntatum tantũ (hanc enim ipsa fides facere solet) sed & naturæ, quã nõ sola fides facit, sed & ipsa participatio carnis & sanguinis Domini, quæ diuina virtute carni nostræ admiscetur. Mat. 10. 1. Cor. 6.

Et quoniã hæretici omnia vertunt ad ipsum

esum

esum per fidem tantum, longè aliter doctor iste clamat, cùm inquit. Nam & pestiferū cum salubri mixtum illud efficit perniciosum: ita & corpus immortale reddit totū illud, in quo susceptū est natura, simile immortali. In corpus autem ingredi non potest, nisi per cibum & potum visceribus immisceatur, itaque necessarium est vt natura nostra quoad eius fieri potest vim salutarem in corpus admittat. Et quoniam Martyr abutitur sententijs Chrysostomi in suam & aliorum perniciem. Quid tandem dicat Chrysostomus audiamus. Vnū corpus sumus, & membra ex carne eius, & ex ossibus eius, sequamur autem initiati ea quæ dicunntur: vt itaque non tantum per charitatem hoc faciamus, verum & ipsa re in illā immisceamur carnem: hoc per escam efficitur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium, quod erga nos habet, propterea semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit, vt vnum quid efficiamur, tanquam corpus capiti coaptatum. Hæc autem admixtio, & vnio nullo pacto & commodius, & efficacius fieri poterat: quàm per ipsam manducationem carnis ipsius, propterea qui volet in resurrectione cōfigurari corpori claritatis illius, non solum necesse est vt credat, sed etiam vt manducet carnem, & bibat sanguinem Domini sub mystica benedictione.

In expositione prioris ad Cor. 6.

Hanc autem manducationem non ita necessa-

ceſſariam ſtatuimus, vt ſine illa omnino huiuſmodi vnionem cum Chriſto fieri poſſe negare velimus. Omnipotens enim Deus nõ ita potentiam ſuam & virtutem allegauit ſacramentis, vt etiam ſine illis ſeruare non poſsit, abſit hoc: Abſolutiſsima & liberiſsima enim ad quiduis agẽdum ipſius vis eſt atq; poteſtas, & virtus. At hæc ratio interim ordinaria eſt, atque ad eam capeſcendam, ſolam fidem ſufficere non ambigimus: ſi præſertim huius ſacramenti vſus defuerit, vel per ætatem vt in infantibus vel per infirmitatem vel aliud impedimentum. Quòd autem hæc vnio fiat naturaliter per participationẽ carnis & ſanguinis Chriſti ſub pane & vino nobis exhibitis, tam apertè & luculenter declarauit Hilarius, vt nulli ambigendi de hac veritate locum relinquat, ſuper illud, ego honorẽ, quem dediſti mihi, dedi eis vt vnum ſint nobiſcũ. Sicut ego & tu vnum ſumus, ita inquit:

Lib.8.de Trinit.

Ioan.17.

Interrogo, an idipſum ſit honor, quòd voluntas, quũ voluntas motus ſit mentis, honor verò naturæ, aut ſpecies aut dignitas. Honorẽ ergo acceptum à patre filius omnibus qui in ſe credituri ſunt, dedit, nõ vtiq; voluntatem, quę ſi data eſſet, nõ haberet fides præmiũ. Iam igitur vnum ſunt oẽs in honore, quia non alius, quàm qui acceptus eſt honor datus eſt, neq; ob aliud datus eſt, quàm vt omnẽs vnũ eſſẽnt, per acceptum igitur & datum honorẽ vnum volunt. Eos nunc interrogo, qui inter patrem &

filium voluntatis ingerũt vnitatem, vtrúmne per naturæ veritatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis? Si enim
Ioan. 1. verè verbum caro factũ eſt. Et nos verè verbum carnem factũ cibo dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturã carnis noſtræ iam inſeparabilé ſibi homo natus aſſumpſit, & naturã carnis ſuæ ad naturã æternitatis ſub ſacramento nobis cõmunicandę carnis admiſcuit? Ita enim oẽs vnum ſumus, q̃a & in Chriſto pater eſt, & Chriſtus in nobis, & ſubdit.

Quiſquis ergo naturaliter patré in Chriſto negabit, prius naturaliter, vel ſe in Chriſto, vel Chriſtũ ſibi ineſſe neget: quia nos in Chriſto & Chriſtum in nobis vnum in his eſſe nos faciunt. Si verè ergo carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & verè homo ille qui ex Maria natus fuit Chriſtus eſt, noſq; verè ſub myſterio carnem verã corporis ſui ſumimus, & per hoc vnũ erimus, quia pater in eo eſt, & ille in nobis, quomodo voluntatis vnitas aſſeritur, cum naturalis per ſacramẽtum proprietas perfectæ ſit ſacramentum vnitatis.

Audiant hoc hęretici & oẽs Caluiniſtę & ad hanc pręclariſsimam & diuinioré ſententiam terga dare, & ſe victos eſſe fateri cogãtur. Nã hac ſẽtẽtia nil clarius, nil nitidius, & irrefragabilius dici poterat ad aſtruendã huius ſacra-
Ioan. 6. menti veritaté, & paulò inferius ſubdit. Ipſe em̃ ait, caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè

verè eſt potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo.

De veritate carnis & ſanguinis non eſt ambigendi relictus locus. Nam & ipſius Domini profeſsione & fide, noſtra caro verè eſt, & ſanguis, & hæc accepta atq; hauſta id efficiunt, vt nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. At ne hæc eſt veritas? redarguat & increpet te veritas hæc quicunq; veritatem oppugnas (contingat ait) planè his verum nõ eſſe, qui Chriſtum Ieſum verum Deum eſſe negant: ſicut phanaticis & impijs Anabaptiſtis accidit, eſt ergo ait, ipſe in nobis per carnem, & nos ſumus in eo, dum ſecum hoc quod nos ſumus in Deo eſt. Quod autem in eo per ſacramentum commũnicatæ carnis & ſanguinis ſimus ipſe teſtatur dicẽs. Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Eodem enim modo quo ipſe viuit per patrem, & nos viuimus per carnem ipſius. Hæc enim vitę noſtræ cauſſa eſt, quòd in nobis carnalibus manentem per carnem Chriſtum habemús, victuris nobis per eum ea conditione, qua viuit ille per patrẽ. Iam Hilarius plurima præſtitit, docuit dogma primariũ fidei noſtrę de vnitate patris & filij, nedum ſacramenti veritatem aſtruere, ſed etiã aduerſariorum doctrinã ſua ſententia refellere clarũ eſt. Rogemus itaque Deũ Opt. Max. vt ad hãc menſam accedamus cum fructu nõ noſtra dignitate, ſed ipſius bonitate, qui in æternũ viuit & regnat.

THESAVRVS SECVNDVS DE SERVATORIS CHRISTI PERSONA, CIRCA SACRAMENTUM Euchariſtiæ, aduerſus Brentium, & reliquos Sacramentarios vbiquitarios.

PROOEMIVM.



Vmano ingenio qui res metiuntur humanas, artis proprium, & germanum eſſe inſtitutum faſſi ſunt, vt in artibus & diſciplinis comparandis, à communioribus ad ea quæ minus cõmunia ſunt, progrediatur. Quod ſalubre documentum quoniam exequi ſatagimus, primùm ipſa Seruatoris noſtri perſona conſideranda erit, & hoc non ſine ratione. Vagantur enim hac noſtra ætate errores quidam, qui abducunt populum à veritate, ad baratrum omnium impietatum. Si quis autem tantorum rumorum, & nouorum terrorum cauſſam quærat, non aliundè reſpondẽdum arbitror, niſi ex ipſis ſectariorum ſententijs, (authore prius in acie, vti anteſignato Melanchthonè cõſtituto) ait enim: Vidi Muſculi propoſitiones, editas mẽſe Maio anni ſuperioris, in quibus rectè loquitur de duabus naturis in Chriſto nato ex virgine. Et ſupra, hæc mihi videtur eſſe iuſta & plana via concordiæ, vt nos omnes retineamus formas loquendi approbatas

Libr.i. phyſic.

In reſponſione de controuerſijs Stancari.

graui authoritate in ecclesia, quia mutatio aut errores aut dissidia parit. O docta & erudita sententia sed malè ab ipso & ab alijs sectarijs obseruata, qui parum ecclesiam definientē in cōtrouersiis audiunt, vt apparet in monstris vbiquitarijs Ioannis Brentij. Deueniemus postea ad illa quæ ad geminas naturas in Christo existētes attinent. Nam de ipsa persona filij plura concordi omninm consensu semper ecclesia professa est: in Christo ex virgine nato copulatas esse duas naturas vnione hypostatica, diuinam scilicet & humanam, sine confusione vnius cum altera. Execramur itaq; illorum blasphemiã, qui nouo sensu asserere conãtur, à tempore acceptæ carnis omnia quæ erant humanitatis, in Deũ fuisse transfusa, & quæ deitatis erant in hominem demigrasse, quod falsissimum est. Ideò si Brentius considerasset, imò si ipsius Assecla nunc aduerterent illam celebrem sententiam. Confundens naturas tollit proprietates, minimè ita in errore persisterēt. Sed vt procliue est hominũ ingenium ad errorem, & ab errore nisi resipiscant ad obstinationem acceditur, ita vt ex paruis initijs magna dissidia oriantur, vt omnes vident propter sectariorum diuisionem, ideò si possem, præsens certamē tollere mallem, quam accendere maiores contētiones, & Dei filium oro, vt nos doceat & gubernet, & adimpleatur in nobis illud quod ipse moriturus à patre petijt. Vt sint vnum quemadmodum & nos vnum sumus. Quod haud dubiè semper orat.

TRA-

TRACTATIO DE THESAVRO PERSONAE CHRISTI.

N quo ſunt omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi. Coll. 2. Profundũ quidem & magnum vereq; admiratione dignum eſt hoc religionis ſacramentum, atq; angelis ſanctis deſideratiſsimũ. Ait enim Apoſtolus: Mihi omnium ſanctorum minimo id beneficium collatum eſt, vt apud exteras gentes infinitam Chriſti opulentiam publicem, & omnibus perſpicuum faciam, quæ ſit myſterij communio, quod ab omni æternitate apud Deum (qui omnia per IESVM Chriſtum condidit) fuit cælatum, vt nunc declaretur principibus & poteſtatibus in cœleſtibus tam varia Dei ſapientia. Quæ nunc reuelata ſunt nobis per eos qui euangelizant nobis in ſpiritu ſancto è cœlis miſſo: Quæ cupiunt ipſi angeli proſpicere. Sanè omnes proſpexerunt, qui intellexerunt magnum hoc religionis ſacramentum: quoniam natus eſt ſecundum carnem CHRISTVS, gratiarum actiones offerentes dicebant. Gloria in ſupremis Deo, & in terra pax, erga homines beneuolentia.

Ephe.3.
1.Pet.1.
Luc.2.

In hoc autem thesauro thesis examinanda est, de modo loquendi in communicatione idiomatum.

Sunt igitur in Christo duo consideranda, naturæ ex quibus constat, & persona ex naturis conflata.

Tota hæc doctrina de modis loquendi nota est his qui legerunt acta synodi Ephesinæ, in qua cuncta orthodoxè examinantur, vt extat apud Cyrillum.

Apogia.

Dicimus enim Deus natus est ex virgine, passus, mortuus, resuscitatus: Non tamen fatemur: Natura diuina est passa, mortua, resuscitata. Ratio ea est, quia in concrèto persona intelligitur, in abstracto autem altera tantum natura.

Hinc multi qui fontes harum distinctionum non intelligunt, putant inanem subtilitatem esse, hos loquendi modos discurrere. Ex hac ignorantia emanauit illorum impietas, qui falsi sunt Christo affuisse naturam diuinam per societatem seu assistētiam, sicut affuit Eliæ, aut alijs Prophetis, nec fuisse hypostaticam vnionem, seu nō fuisse vnam personam ex duabus naturis.

Naturę autem nomen, quùm anceps sit, errorem afferre posset.

A notæ igitur ethymologia principiū ducentes, dicendum est. Naturam à nascendo dici, quod propriè ad res viuentes spectat, & ita natura secundum priorem notæ institutionem

tionem viuentium generationem ipsam significat, vtpote natiuitatem, & ita nó loquimur.

Neque naturæ nomine vim naturalem intelligimus, vt quùm dicimus hanc hominis esse naturam, hanc verò brutorum, aut stipitis.

Neque enim vim formalem intelligimus, essent duæ personæ in Christo, quòd vt delyrium Nestorianum abhorremus.

Verùm sumimus naturam pro essentia rei, ita vt natura sit specifica differentia vnũquodque informans, & hac ratione in Christo sunt duæ naturæ, humanitas scilicet atque diuinitas, quia si secus esset, non esset verus Deus, & verus homo. Est enim vt apposité Damascenus ait, deitatis & humanitatis nomen substantiarum, scilicet naturarum repræsentatiuum. Totam ergo hominis naturam verbum, id est animam & carnem & horum proprietates siue accidentia assumpsit, non carnem sine anima, nec animam sine carne, sed carnem & animam cum sensibus suis. Necessarium enim fuit, vt omnia essentialia quæ sunt in homine, essent & in Christo, vtpote corpus & anima vegetatiua, sensitiua, & rationalis, & nõ tantum hoc, verumetiam & forma totius, resultans ex corporis & animæ coniunctione, quæ humanitas appellatur. Libro 2.

Et quoniam proprietates naturales ex principijs essentialib⁹ caussantur, oportuit in Christo esse omnes naturales proprietates humanam speciem consequentes.

Illæ aũt quæ humanam ſpeciẽ conſequuntur per accidẽs, ſiue ſint defectiones, ſiue perfectiones, oẽs illæ fuerunt, & ſunt in Chriſto, q̃ nec lumini gratiæ, nec gloriæ detrahũt. Ideò defectiones culpabiles nullo pacto fuerunt in chriſto, vt perperã quidã blacterones faſsi sũt.

Patet etiam ex his, error & hæreſis Manichæorum, qui faſsi ſunt Chriſtum habuiſſe corpus phantaſticum: aſſeuerantes omnium viſibilium creatorem eſſe diabolum.

Marcianorum quoque hæreſis exploditur, aſſerentium Chriſtũ non aſſumpſiſſe corpus ex virgine, ſed de cœlo attuliſſe illud. Quod figmentum potuit ex falſo Platonicorum ſermone ſumpſiſſe materiã, vt Auguſtin⁹ aſſerit. Dicebant enim Platonicorum nõnulli, ab anima omne corpus terreſtre eſſe fugiendum, vt beatitudinem conſequeretur. Impoſſibile enim cenſebãt animam corpori vnitam fieri poſſe beatã. Fatebantur enim animas corporib⁹ cœleſtibus (vt ſoli, lunæ & ſtellis) vnitas eſſe beatas. Hinc animã Chriſti beatã, non terreſtri, ſed cœleſti corpori vnitã dixerũt eſſe.

Libro 10. de Dei ciuitate.

Arrij pariter, & Eunomij error deteſtandus eſt, dicebant enim filium Dei carnem ſine anima aſſumpſiſſe, cenſentes loco animæ deitatem carni eſſe vnitam, neſcientes tamen deitati derogare, informare carnem. Nam ſecundum hanc hæreſim Chriſtus nõ eſſet verè homo, cũ de intrinſeca ratione hominis, ſit anima rationis particeps.

Apollinaris etiam cæcutiuit, voluit em̃ in Christo fuisse animã intelligentem sed mente carentem: quia intellectus officiũ deitas compleuit, & iuxta hanc stultitiã Christus nõ fuisset homo, sed potius brutũ, ideò pijssimè Damascenus cõcludit: Omnia quæ in natura nostra plantauit Deus, verbũ assumpsit, scilicet corpus & animam intelligentem, & horũ idiomata. Totus enim totum assumpsit me, vt toti mihi salutẽ gratificet. Quod enim inassumptibile est, incurabile est. Libro 2.

Si autẽ vnionis modum quærimus, inquit August. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non carnẽ Christi sine diuinitate conceptã in vtero virginis priusq̃ susciperetur à verbo: sed ipsum verbũ Deũ suæ carnis acceptiõe conceptũ, ipsamq́; carnẽ verbi incarnatione cõceptam. Quia ex quo Deus hominẽ assumpsit, totũ assumpsit, simulq́; sibi vniuit animã & carnem: nec caro prius fuit cõcepta, & postmodũ assumpta, sed in cõceptione assumpta, & in assumptione cõcepta, & alibi ait: Non esset Dei hominumq́; mediator, nisi esset Deus idẽ, idẽ homo, in vtroq; vnus & verus, quã seruilem formã à solo filio susceptã, tota trinitas (cuius vna est voluntas & operatio) fecit. Non aũt in vterò virginis prius caro suscepta est, & postmodum diuinitas venit in carnem: sed mox vt verbũ venit in vterũ, seruata veritate propriæ naturæ factum est caro, & perfectus homo, & in veritate carnis & animæ natus est. In libro de fide ad Petrũ. Libro 1. de Trin. 1. Tim. 2.

Circa

Circa ipſam vnionem duarum naturarum
Luc.1. in Chriſto dicimus. Angelo nunciante, & ſpiritu adueniente, mox verbum in vtero, mox intra vterum verbum caro. Ex his conſpicuũ eſt, carnem ſcilicet verbi, ſimul conceptam & aſſumptam. Quam carnem non cœleſtis, non aëreæ, non alterius cuiuſquam putemus eſſe naturæ, ſed eius cuius eſt omnium hominum
Libro 2. caro. Incarnatum eſt verbũ inquit Damaſcenus, & à propria incorporalitate non receſsit, & totum incarnatũm eſt, & totũ eſt incircumſcriptum. Minoratur corporaliter & contrahitur, & diuinè eſt incircumſcriptum, non coextenſa carne eius, cum incircumſcripta diuinitate. In omnibus igitur qui ſuper omnia erat, & in vtero ſanctæ genitricis exiſtebat, ſed in ipſo actu incarnationis.

Et quoniã non deſunt, qui ſub pietatis nota Euthycetis errorem renouare conẽtur, ac Neſtorij, ideò quùm ex præmiſsis conſtet, Dei verbum, carnem ſimul aſſumpſiſſe & animã, in vnitatem perſonæ. Non tamen concedendum eſt, quod perſonam perſona aſſumpſerit. Sed vtrunque hoc orthodoxè dictum affirmamus: Perſonam diuinam naturã aſſumpſiſſe humanam, & naturam aſſumpſiſſe naturam diuinam dumtaxat naturam, humanam ſibi, & ad ſe vniuiſſe naturam. Ideò totam diuinam naturam in vna hypoſtaſi incarnatam eſſe fatemur, ait enim appoſitè non minus
Libro 3. quàm orthodoxè Damaſcenus: in humana-

tione

tione Dei verbi dicimus omnē & perfectam naturam deitatis in vna eius hypoſtaſeon incarnatam eſſe, id eſt vnitam humanæ naturæ, & non partem parti. Omni enim humanæ naturæ dicimus eſſe vnitam omnem deitatis naturam, vel ſubſtantiam.

Vocum tamen ignorantia errorem inducere & confuſionem parere ſolet ſæpenumerò, ideò apud Græcos: Quatuor ſunt vocabula, ſcilicet, vſia, vſioſis, hypoſtaſis, proſopon. Latini verò vtuntur quatuor alijs vocibus, quæ iam dictis æquipollent, videlicet eſſentia, ſubſiſtentia, ſubſtantia, perſona.

Harum autem notarum ea eſt differentia. Nam vſia ſiue eſſentia dicitur de creaturis abſolutè & ſine concretione, abſtractè & nō concretè, vt humanitas.

Vſioſis autem dicit naturam, ſiue ſubſtans naturæ, vt homo.

Hypoſtaſis verò dicit illud quod diſtingui poteſt, non tamen eſt diſtinctum proprietate perſonali determinata, vt aliquis homo.

Proſopon ſiue perſona dicit diſtinctā rem proprietate determinata, quæ ad dignitatem pertinet, vt Ioannes ſiue Petrus. Et quemadmodum partticulares homines diſtincti ſunt proprijs qualitatibus, ita in myſterio trinitatis pater, filius, & Spiritus ſanct9 diſtincti ſunt proprijs notionibus.

Græci dicunt patrem, filium, & ſpiritum ſanctum eſſe tres hypoſtaſes, id eſt tres ſubſiſten-

ſiſtentias. Et latini dicunt tres ſubſiſtentias id eſt tres res nulla alia re egentes.

Eſſentiæ itaq; & perſonæ differentia ea eſt: nam eſſentia in ſe conſiderata omnino eſt indiuiſa, & indiſtincta etiam in alijs.

Perſona autem in ſe, & in alijs diſtincta eſt ſuis proprietatibus, vt pater paternitate, & innaſcibilitate, filius filiatione, & ſpiritus ſanctus proceſsione, ideò Damaſcenus dicit. Eadem eſt natura in ſingula hypoſtaſeon, id eſt perſonarum.

Libro 3.

Cùm ergo dicimus verbi naturã incarnatã eſſe, inquiunt Athanaſius & Cyrillus, deitaté dicimus carni eſſe vnitam, & vnam naturam Dei verbi incarnatã confitemur. Verbum autem, & quod commune eſt ſubſtantiæ, poſsidet, & quod proprietatis eſt habens hypoſtaſeos, id eſt perſonæ.

In libto de Trin. In ſermone quod verbum caro factũ ſit.

Ratio verò, quare non perſonam hominis aſſumpſit, vt delirauit Neſtorius, multiplex eſt. Nam caro illa, & anima illa, nõ erant vnita ante aſſumptionem verbi in vnam perſonam, ex illis enim non conſtabat perſona, quando illis vnitum eſt verbum. Nam ſibi inuicẽ vnita ſunt ſimul, quùm verbo vnita ſunt. Non ergo accepit verbum Dei perſonam hominis, ſed naturam: quia non erat ex carne illa, & anima illa compoſita perſona vna, quã verbum accepit, ſed accipiendo vniuit, & vniendo accepit.

Accedit etiã nam natura humana in Chriſto

non

non ſubſiſtit in propria perſona, ſed in perſona Dei. Ideò aptiſsimè (vt notis ſcholæ vtar) magna eſt differentia inter ſubſiſtere, & inexiſtere, humana enim natura inexiſtit in alieno ſuppoſito, & ſuppoſitum diuinum ſubſiſtit in natura humana. Nam natura humana non habet proprium ſuppoſitum, ſeu perſonam, in quo ſubſiſtat. Quia in perſonalitate ipſius verbi, ad quod aſſumpta eſt, & eleuata, & in ipſo ſuppoſitata eſt, non quod per ſe hypoſtaſin ſeu perſonam faciat, ſed quia in verbo cum ipſo eſt vna perſona.

Deteſtamur itaque ſtultitias Eutychianas & Enthuſiaſticas fingentes humanam naturam à diuina abſortam eſſe, aut humanam diuinæ æqualem fuiſſe factam. Sed confitemur orthodoxè & piè, quòd ſynodus Calcedonenſis decreuit, in nouiſsimis dieb⁹, filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfusè immutabiliter, indiuisè, inſeparabiliter agnoſcendum, nunquam ſublata differentia naturarum propter vnionem.

Itaq; in perſona Chriſti duas intelligimus eſſe naturas, deitatem nempe, & humanitatē, quæ Chriſti perſonam conſtituunt.

Circa tamen ipſam conſtitutionem animaduerſione dignum duxi. Multis modis vnum, ex duobus pluribúſue conſtitui.

Vno modo ex duabus integris rebus perfectis remanentibus, quæ res fiūt in his quorum for-

forma eſt compoſitio, vel ordo vel figura: quemadmodum ex multis lapidib⁹ abſq; aliquo ordine coaceruatis, fit per ſolam compoſitionem, aceruus lapidum, & ex cæmento lapidibus, & lignis iuxta aliquam formam compoſitis, fit domus.

Hinc moti quidam, non intelligẽtes vnionis myſterium, faſsi ſunt vnionem duarũ naturarum in Chriſto, eſſe factam per modum quendam confuſionis, quæ eſt abſq; omni ordine, vel per modum conſarcinationis, quæ eſt cum ordine.

Sed hoc eſſe nequit, primò quidem, quoniam compoſitio, ordo & figura, non eſt forma ſubſtantialis, ſed accidẽtalis. Et ita ſequeretur hoc abſurdum, quòd vnio verbi cum narura humana non eſſet per ſe, ſed per accidens.

Ideò circa myſterium vnionis duarum naturarum in Chriſto, cum pede plumbeo incedendum eſt. Ne cõfundamus naturas, quemadmodum Euthyces & Dioſcorus, aſſerentes ex duabus naturis vnam tantum conſtitutam eſſe naturam, ita vt faſsi ſint, Chriſtũ ex duabus naturis, eſſe ante vnionem diſtinctis, poſt vnionem vero naturarum diſtinctione ceſſante.

Alij tamen, vt Neſtorius & Theodor⁹ Moſueſtenus perſonas ſeparauerunt, faſsi ſunt em̃, aliam eſſe verbi perſonam, & aliam hominis, quas aſſerebant ſibi vnitate coniunctas eſſe.

Primò

Primò per inhabitationem, in quantum Dei verbum habitauit in homine illo aſſumpto, quemadmodum in templo.

Secundò per effectus vnitatem: in quantũ ſcilicet illius hominis voluntas, Dei voluntati conformis eſt.

Tertiò ſecundum operationem, dicebant enim hominem illum, tantum eſſe verbi Dei inſtrumentum.

Quartò ſecundum honoris dignitatem, in quantum omnis honor qui filio Dei exhibetur, exhibetur filiò hominis propter coniunctionem cum filio Dei.

Quintò ſecundum nominum cõmunicationem, quũ dicimus, illum hominem eſſe Deũ, & Dei filium.

Sed omnes iſti modi vnionem ſolum ſecundum accidens ponunt in Chriſti perſona, ratione verbi humanam naturam aſſumentis, & non ſecundum ſubſtantiam, & ideò veritatem vnionis tollunt.

Quidam alij poſteriores exiſtimãtes ſe has hæreſes ſubterfugere, in illas per terminorum ignorantiam inciderunt, faſsi ſunt enim nonnulli, vnam ſolum eſſe Chriſti perſonam, ſed eſſe in Chriſto duas hypoſtaſes & duo ſuppoſita, dicentes, quendam hominem compoſitũ ex anima & corpore aſſumptum eſſe ab ipſo Dei verbo in vnitatem perſonæ.

Quidam alij ſeruare intendentes perſonæ vnitatem, poſuerunt animam Chriſti nõ eſſe

corpori vnitam, verùm hæc duo ad inuicem fuisse separata : per accidens tamen verbo Dei vnita.

Verùm vtraque hæc positio incidit in hæresin Nestorij, nam qui asserunt duas hypostases seu duo supposita in Christo, idem est, acsi faterentur duas personas. Ideò Damascenus pijssimè sentit: In Domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, vnam autem hypostasin.

Libro 3.

Qui ergo concesserunt in Christo vnã personam, & posuerunt, aliam esse verbi hypostasin & aliam hominis, ignorauerunt habitudinem hypostasis ad personam.

Quæ res vt facilior appareat, dicam clarius, principium ducens à definitione personæ. Ipsius autem personæ dantur tres definitiones, prior est, persona est rationalis naturę indiuidua substantia, & talis definitio sumitur penes ipsam rei naturam.

Alia definitio accipitur penes vocis ethymologiã, dicitur enim persona, quasi per se vna, & ita persona est subsistens per se solam iuxta quendam singularem modum.

Postrema definitio est, persona est hypostasis distincta proprietate ad dignitatem pertinente. Ex quo quùm persona nõ addat suprà hypostasin, nisi determinatam naturã, scilicet rationalem, vt ex priori definitione liquet, idem est attribuere propriam hypostasin naturæ humanæ, ac si attribueremus propriam per-

personam. Ideò synodus quinta apud Constantinopolim inquit. Si quis conetur introducere duas subsistentias, seu duas personas, anathema sit: nec enim abiectionem personæ vel subsistentiæ suscipit sancta trinitas, incarnato vno de sancta Trinitate Dei verbo.

Ipsa autem subsistentia idem est, quod res subsistens, quod proprium hypostasis est.

Si autem vt isti volũt, vnio facta sit in persona, & non in hypostasi, consequio quodam sequetur, non esse factam vnionem nisi secundum quandam dignitatem in Christo: Quod in synodo Ephesina damnatum fuit à Cyrillo. Sic enim ait. Si quis in vno Christo diuidit subsistentias post adunationem, sola copulãs eas coniunctione, quæ secundum dignitatem quandã, vel authoritatem est, vel secundum potentiam, & non magis concursu secundum adunationem naturalem anathema sit.

Amplius hypostasis est, cui attribuuntur operationes & proprietates naturæ, & ea etiam quæ ad naturæ rationem in concreto attinẽt, vt exemplo patet, fatemur enim, quia hic homo ratiocinatur, & est risibilis, & est animal rationis particeps. Et hac ratione, hic homo dicitur esse suppositum, supponitur enim his quæ ad hominem attinent, eorumq; prædicationem recipit.

Iã dicamus clarius. Si ergo sit alia hypostasis in Christo præter hypostasin verbi, hoc sequetur absurdũ, vt de aliquo alio verificentur

ea quæ ſunt hominis, quàm de ipſo Dei verbo, ſcilicet eſſe ſepultum, paſſum, crucifixum, natumq́; de virgine. Quod etiam Epheſina ſynodus damnauit, ſic definiens: Si quis perſonis duabus vel ſubſiſtentijs, eas quæ ſunt in euangelicis & apoſtolicis ſcripturis impartitur voces, aut de Chriſto à ſanctis dictas, aut ab ipſo de ſe, & quaſdam quidem velut homini, præter illud ex Deo verbum ſpecialiter intellecto applicat, quaſdam velut Deo decibiles ſoli ex Deo patre verbo: anathema ſit. Eſt itaque hęreſis dãnata ab eccleſia, aſſerere in Chriſto duas hypoſtaſes vel duo ſuppoſita, vt in eadem ſynodo habetur. Si quis non confitetur carni ſecundum ſubſiſtentiam vnitum à Deo patre verbum, vnumque eſſe Chriſtum cum ſua carne eundem ſcilicet Deum, & hominem, anathema ſit.

Alia etiam aſſertio, Neſtorij opinioni materiam miniſtrat, dum ponit in Chriſto factã eſſe vnionem accidẽtalem: Non enim differt, ſi dicamus, verbum Dei homini vnitum eſſe ſecundum inhabitationem. Quemadmodum in ſuo templo, vt perperam faſſus eſt Neſtorius, & aſſerere verbum Dei vnitum eſſe homini, ſicut tunica vel indumentum.

Hinc fides orthodoxa mediam amplexata viam, dicit verbum Dei, ipſamq́; vnionẽ Dei & hominis factam eſſe non ſecundum accidens, ſed ſecundum ſubſiſtentiam ſeu hypoſtaſin, vt in ſexta ſynodo definitũ fuit. Cum mul-

multis modis vnitas intelligatur, qui iniquitatem Apollinaris & Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum quæ conuenerunt colentes, id est interementes vtranque naturam, vnioné secundum confusioné dicunt, Theodori autem & Nestorij sectatores diuisione gaudentes, affectualem vnitatem introducũt: Sancta verò Dei ecclesia vtriusq; perfidiæ impietatem reijciens, vnionem verbi Dei ad carnem ex duabus naturis conflatam appellat secundum subsistentiam, & rectè.

Errant etiã & assertores talis sententiæ circa verbi vnionem cum carne, per modum confusionis seu commassationis illam factam affirmantes. Quia ex talibus ita vnitis non fit vnum simpliciter, sed solum secũdum quid: remanent enim plura actu.

Decipiuntur etiam, quia talium forma nõ est natura, sed potius ars, vt patet in forma domus, & ita non constitueretur vna natura in Christo, vt ipsi etiam volunt.

Alio itaq; modo aliquid fit vnum ex perfectis, sed transmutatis: quemadmodum ex elementis fit mixtũ. Et hoc aduertentes nonnulli, dixerunt vnionem factam esse in Christo per modum complexionis.

Verum hoc esse nõ potest. Nam diuina natura penitus immutabilis est. Ego enim Deus, & non mutor. Et alibi apud quẽ nulla est mutatio, aut vlla conuersionis vmbra. Ex quo nec ipsa diuina natura potest cõuerti in aliud, Mal.3. 1.Iac.1.

cum careat omni corruptiõe, nec aliud potest conuerti in ipsam, quùm sit ingenerabilis.

Vlterius illud quod est commixtum, nulli miscibiliũ est idem specie, differt em̃ caro specie à quolibet elemento, & ita Christus nõ esset naturę eiusdem cum patre, nec cum matre.

Libro 1. de Trin.

Quod falsum est. Nam vnã habet à pątre diuinitatis naturam: Alteram trahit à matre humanitatis carnem, cum illa concors est Deo, cum ista similis est hominibus.

Amplius, nam ex his quæ plurimũ distant, nõ potest fieri commixtio: soluitur enim eorum species, vt exemplo patet, si fortè fortuna quispiam guttã aquæ, amphoræ vini apponat. Et quũ natura diuina in immẽsum humanam naturam excedat, non potest esse mixtio, finiti enim ad immensum nulla est proportio, & ita sola natura diuina remanebit in Christo, quod etiam falsissimum est.

Libro 3. physic.

Fit etiã aliquid ex aliquibus nõ permixtis, vel ꝑmutatis, sed imperfectis. Quemadmodũ ex anima & corpore fit homo, & simili modo ex diuersis membris vnum corpus cõstituitur.

Rom. 12. 1. Cor. 11.

Sed hoc nõ potest concedi in incarnationis mysterio, primò quidẽ, quia vtraq; natura secundum suam rationẽ perfecta est. Est enim perfectus Deus & perfectus homo ex anima rationali & humàna carne subsistẽs, vt orthodoxè fassus est Athanasius.

In symbolo fidei.

Amplius diuina natura & humana nõ possunt constituere aliquid per modum partium quan-

quantitatiuarum. Quemadmodum membra corpus constituunt, & ratio ea est, quia natura diuina est incorporea.

Neq; etiam hoc esse potest per modum formæ, diuina enim natura non potest esse forma alicuius, præsertim rei corporeæ.

Vlterius sequeretur speciem prouenientẽ ex illis ita vnitis esse pluribus communicabilem, & ita essent plures Christi, quòd religio christiana abhorret penitus.

Tandem Christus non esset humanæ nec diuinæ naturæ. Nam differentia addita variat speciem, sicut vnitas numerum. Et ideò patres optimè elucidant auctoritatem synodi Calcedonẽsis qua dicitur. Non oportet intelligere duas naturas, sed vnã naturã Dei verbi incarnatam. Quæ sententia ita in quinta synodo declarata fuit. Si quis vnam naturam verbi Dei incarnatã dicens, non sic accipiat, quemadmodum patres docuerunt, quòd facta sit vnio secundum subsistentiam, sed ex talibus notis, naturam vnam siue substantiam diuinitatis & carnis Christi introducere conetur, talis anathema sit. Non ergo est sensus, ex duabus naturis vnam naturam conflatam esse in incarnatione, sed quòd natura verbi Dei vniuit sibi in persona carnem. Lib. 3. meta.

Natura itaq; Christi humana indiuidua est, qa non est prædicabilis de pluribꝰ, sed de ipsa sola dumtaxat, est etiã singularis, qa signata, dicendo: hæc est: quia natura humana non

tantū nata eſt ſaluari in ea, ſed in multis alijs: vt Titij, Sempronij, aliorumq́; hominum.

Non tamen natura hūmana eſt res naturę: quoniàm res naturæ eſt illud quod per ſe ſubſiſtit, natura autem humana vt dictum eſt, nō per ſe ſubſiſtit, caret enim propria hypoſtaſi, proprio ſuppoſito & própria perſona. Et ratio ea eſt: perſona enim dicitur quaſi per ſe ſonans: Ideò nulla res eſt perſona, quæ eſt rei ſe ipſa digniori vnita, vt natura humana infima, verbo Dei immenſo vnita in vnitatem perſonæ.

Quam vnionem vt alibi etiam tetigi, appoſitè inſitionem quidam appellarunt: quia Rom.11. quemadmodum nos per gratiam adoptionis, cum oleaſtri eſſemus, inſiti ſumus in naturam bonæ oliuæ, & ſocij pinguedinis & radicis effecti ſumus: ita & natura humana per gratiam vnionis longè præſtantiorem, excellentiorē & vberiorem gratia adoptionis in vnitatem perſonæ inſita eſt in ipſo Dei verbo.

Hinc pijſsimè dixerunt, cōſiderata hac inſitione, humanitatem Chriſti eſſe quaſi organum diuinitatis ipſius: Quemadmodum caro inſtrumentum eſt animæ, & organum. Non ſicut exteriora vt ſecuris & dolabrum, ſed ſicut inſtrumentum coniunctum, animatum & proprium.

Cunctæ enim res creatæ ad Deum comparantur, vt inſtrumenta quædam extrinſeca ſeparata, in quibus & per quæ Deus operatur, & mo-

mouet ad ipſorum operationẽ, ita enim Deus res quas condidit adminiſtrat, vt illis propriũ motum agere ſinat.

Humanitas verò aſſumpta cooperatur ad verbum incarnatum vt inſtrumentum ipſius medio vacans, coniunctum, animatũ, & proprium: per quod exequutum eſt opera diuina, vt mundare peccata, mẽtes per gratiam irradiare, & aperire ad vitam ęternam patentem aditum..

Neq; iſtud longè alienum eſt à naturalium rerum ſimilitudine, aliquid eſſe naturaliter alicuius inſtrumentum proprium, quod non eſt forma illius, vt exemplo patet.

Quemadmodum lingua organum eſt intellectus, qui nullius corporis eſt actus. Libro 3. de anima.

Tamen in hoc vnionis myſterio non eſt ſimilitudo omnibus modis eadem inquirẽda: Nam ipſum Dei verbum longè ſublimius atque intimius vniuit ſibi naturam humanam quàm poſsit ſymbolo aliquo, aut laruata ſimilitudine ſignificari.

Fuit itaque homo ſicut & nos corpore aſſumpto ex ſancta virgine, non corpore inanimato, ſicut viſum eſt quibuſdam hęreticis, ſed animato, atq; adeò anima rationali, & ita prodijt perfectus homo ex muliere abſque peccato, verè & non opinione, vel phantaſia. Nec contemptior fuit in hoc quod erat Deus, neq; etenim abiecit, quod erat: ſemper eſt, & erit Deus. Ita & Dei genitricem dicimus ſanctam

virginem. Nam sanctus Paulus dicit. At nobis quidem vnus est Deus pater, ille à quo omnia, & in quem nos: ita vnus est Dominus Iesus Christ⁹ per quem omnia: & per quem nos. Nō enim diuidimus vnum Dominum & Deū & seruatorem in duos filios, eum qui homo fuit, & incarnatum Dei verbum.

1. Cor. 8.

Neque sicut opinantur quidam hæretici & imprudentes, quòd humanitas & diuinitas confusæ sint, ita quod verbum Dei in naturam carnis concesserit, & natura carnis in naturam deitatis conuersa sit: ineuertibile enim & immutabile omnibus modis est verbum Dei: sed quòd carnem animatam anima rationali sibi ex sancta virgine verè vniuerit verbum Dei, ineffabiliter incarnatum & factum homo dicitur.

Cyrillus in sermone de eo quod verbum Dei factum sit homo.

Est etiam animaduertendum. Nam in mysterio trinitatis, vnitas est essentiæ, trinitas verò est in personis.

In Christo, vnitas est personæ, & naturarum est vnio.

Quū ergo in diuinis solū sit vnica simplicissima essentia, rectè fassi sunt patres, negantes aliud & aliud, tollunt em̄ hanc notam præ se ferentem diuersitatē. Sed confessi sunt alium & alium, quæ nota personarū significat distinctionē, vt orthodoxè Athanasius dixit. Alia est persona patris, alia filij, alia spiritus sancti. Sed patris & filij, & spiritus sancti vna diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.

In symbolo fidei.

In

In diuinis aliud non eſt, eſſet enim deorum multiplicatio.

Tamen in Chriſto, aliud eſt humanitas & aliud eſt diuinitas, nõ tamen Chriſtus eſt alius & alius, eſſent enim duo Chriſti, ſed vnus eſt Chriſtus ex duabus naturis in vna tantũ perſona exiſtens.

Perfectum itaq; inquit Damaſcenus: Deum confitentes ipſum Dominum Ieſum Chriſtũ, & perfectũ hominem eundem dicimus: & oĩa habere quæcunq; pater, præter innaſcentiam, & habere oĩa quęcunq; Adamus primus, excepto peccato. Quæ quidẽ ſunt corpus & anima rationalis, ac intellectualis. Lib. 3. de fide orthodoxa cap. 13.

Nunc autem accedendum eſt ad pleniorẽ vnionis declarationem, & primùm conſiderandũ eſt, an in Chriſti perſona ſit ſolum vnũ eſſe, an ſint plura.

Dicimus ergo vocem ancipitem eſſe, ideò prius tollenda eſt è medio æquiuocatio, & poſtea reddenda eſt ratio.

Eſt em̃ eſſe eſſentię, & eſſe actualis exiſtentiæ, primum tantum vnum eſt, poſterius autem nihil refert, an ſit multiplex.

Nam in Chriſto ſunt duę naturę & vna hypoſtaſis. Hinc neceſſe eſt, vt illa quæ ad naturam pertinent ſint multiplicia. Habet enim Chriſtus conſentaneè illa quę duabus naturis conueniunt, duplicia duarum naturarum naturalia, quæ autem ad hypoſtaſin attinent, in Chriſto tantum vnicum eſſe habent. Nam

vna-

vna quæque res prout diciturens, secundum hoc dicitur & vnum. Si in Christo essent plura esse, & non vnum tantum, Christus esset duo, & non vnum.

Esse verò tum ad naturam, tum etiam ad hypostasin pertinet, sed alia atque alia ratione, ad hypostasin quidem attinet, sicut ad illud quod habet esse, ad naturam autem, sicut ad id quo aliquid habet esse.

Natura enim significatur per modum formæ, quæ dicitur res, ex eo quod ex ipsa est aliquid. Quemadmodum aliquis albedine est albus, & humanitate quispiam est homo.

Si autem sit aliqua natura vel forma, quæ nõ pertineat ad esse personale hypostasis subsistentis, illud esse non simpliciter dicitur illius personæ, sed secundum quid & hoc esse non est inconueniens si multiplicetur in vna hypostasi vel persona, vt exemplo declaro. Aliud est esse, quo Simplicianus est albus, & aliud est esse, quo est musicus. Tamen illud esse quod pertinet ad ipsam hypostasin, vel personam impossibile est secundum se in vna hypostasi vel persona esse multiplex. Nã impossibile est vt vnius rei non sit vnum esse.

Si igitur humana natura non adueniret filio Dei hypostaticè vel personaliter, sed per accidens, vt suprà improbatum est. Oporteret ponere in Christo duo esse, vnum in quantum est Deus. Aliud inquantum est homo, vt exemplo declaro.

Quem-

Quemadmodum si in Titio ponatur aliud esse, inquantum est albus, & aliud secundum quod est homo: quia esse album non pertinet ad ipsum esse personale ipsius Titij. Esse verò capitatum & esse corporeum, & esse animatũ, totum hoc attinet ad vnam ipsius Titij personam, & hinc est quòd ex cunctis istis, non fit in Titio nisi vnum esse.

Etsi eueniret vt postquã ipsius Titij persona constituta est aduenirent ipsi manus, vel pedes, vel oculi, quemadmodum accidit cæco à natiuitate, ex istis non accederet Titio aliud esse, sed tantum noua quædam relatio ad talia. Diceretur enim nõ tantum esse secundum ea quæ prius habebat, sed etiam secundum ea quæ de nouo ipsi aduenerunt. Ioan. 8.

Cum ergo ipsi Dei verbo natura humana vnita sit hypostaticè & personaliter vt suprà dictum est, & non accidentaliter, vt dixerunt hæretici. Consequens est, vt secundum humanam naturã non adueniat sibi nouũ esse personale, sed tantũ noua habitudo esse personalis ad naturã humanã, vt scilicet persona illa dicatur subsistere non tantum secundũ diuinam naturam, sed secundum humanam.

Itaque Christus non est persona duplex, siue cogitatione siue re ipsa, sed duarum naturarum, vnica persona, & ideò est solum vnicum esse essentiæ in ipso, & plura actualis existentiæ.

Verbum enim ipsum simul est persona &

natura, ipsa verè humanitas non est aliud per se, quàm natura, quæ (dicam apertius) vtarque notis scholæ, personatur, & sustentatur in verbo Dei, in quo habet proprium esse. Et ideò in persona Christi non est nisi vnum quod fit ex duabus naturis inconfusè vnitis in illa persona: Fatemur enim, quod hic homo demonstratus scilicet Christus, constituatur ex tribus substantijs & duabus naturis, vt orthodoxè dixit Ioannes Casianus aduersus dogmata Nestorij impia, quùm inquit: Dominus noster Iesus Christus homo nascens & Deus, vtriusq; in se parentis habuit proprietatem, dum & in eo quod Deus, Dei patris habuit veritatem. In eo autem quod homo, humanæ matri reddidit similitudinem. Vnum itaq; est esse in Christo secundum operationé ipsius esse ad hypostasin, cuius est esse, quamuis hoc esse sit duarum naturarum quæ manét distinctæ, eò quòd hoc est istius, & est hoc esse alterius.

Libro 6.

Obiectio Nestorij. Quùm autem hęretici tergiuersantur, & inquiunt, filius Dei est suum esse, hic homo non est suum esse, aliud itaque est esse hominis in quantum homo, & aliud est esse filij Dei & verbi.

Confutatio aduersariorum. Ita hanc diluimus instantiam. In Christo tantum est vnicum esse, sed aliud est esse huius simpliciter, & aliud est esse huius secundum hanc, aut illam naturam, & aliud est esse huius, vel illius naturæ.

Esse

Esse autem huius simpliciter est, esse personæ, vt persona est, & hoc tantum vnum est. Quoniam fide tenemus vnionem illam factã esse in esse, etsi facta est in esse, operæpretium est, vt in aliquo esse sit facta, sed non est facta, nisi in esse personæ, ergo esse huius personæ ex illa vnione est.

Esse autem secundum naturam hanc, vel illam, est esse acceptũ in comparatione ad naturam facientem esse in persona, & à parte illa generatur esse in Christo. Consistit enim in esse naturæ humanitatis, & in esse naturæ deitatis, ipsum vnicum esse personæ.

Hoc enim naturali ratione manifesta demõstrari potest, quia vnius rei tantum est vnũ esse, Christus etsi sit res gemina quantum ad naturas, tamen quantum ad personam, est vnica res, ideò solum vnum esse habet.

Amplius vnum fundatur super rem, quod propriè dicitur esse substantiale, quia est actus rei simpliciter quod non est nisi existentium per se, & suppositorum. Sed quoniam ex nostratibus quidam instant, & inquiunt. Si humana Christi natura sibi ipsi derelicta esset, haberet proprium esse, aliud ab esse diuino, aut hoc esse est illud, quod iam præhabuit in ipso supposito diuino, & ita sunt plura esse, contra quam iam suprà dictum est, aut aliud, quod est erroneum. Lib 1. metaph. Instantia.

Nam id quod amittit totum esse simpliciter quod habebat, & acquirit nouũ esse quod Confirmatio.

prius

prius non habuit, illud est verè corruptum,& generatum. Si autem humana natura sibi ipsi relinqueretnr, amitteret simpliciter totũ esse quod habuit, si in Christo est solum vnũ esse,& hoc increatum, acquiretq́; totaliter nouú esse, & ita verè corrumperetur, quod falsissimum est.

Dilutio rationis & confirmationis. His pluribus modis fit satis, & primò distinguimus illa quæ sunt in Christo, & quasdam partes verè & realiter fatemur separatas fuisse in ipso. Quasdam verò partes ita dicimus inseparabiles vt nondum re, verum nec cogitatione ipsa vlla ratione seiungi valeant.

Partes antem quæ verè & realiter in Christo separatæ fuerunt in ipsius morte sunt anima & corpus, quæ tunc verè realiterq́; seiunctæ fuerunt: quando clamans voce magna emisit spiritum. Hinc quũ venissent ad Iesum, vt viderunt eum iam mortuum nõ fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius perforauit.

Mat.26. Mar.14. Luc.22. Ioan.19.

Partes verò quæ inseparabiles sunt, sunt diuinitas & humanitas, quia quod semel assumpsit, nunquam dimisit. Peccat itaq; ratio quia fundatur super illud quod imposibile est.

Amplius dico, si humana natura sibi tantum esset derelicta, vt fuit in morte, quùm clamauit, Eloi Eloi Sabachthani: quorum verborum hæc notio est: mi Deus: mi Deus cur me dereliquisti? non propter hoc separata aliquando fuit à diuinitate humanitas, vt ratio præ-

Mar.14. Psal.21.

præsupponit. Sed sensus illius sententiæ multiplex est. Cur me deseruisti? ex persona naturæ humanæ dicit, ac si diceret: cur me hominē deseruisti ô Deus, vt precer te Deum cruci affixum pro me. Nos enim homines fuimus à patre deserti, ille verò nunquam: Non sum solus inquit: sed pater mecum est. Ioan.16.

Proponit itaque suam quærimoniam Christus secundum eam infirmitatem, secundum quam etiam sibi auferri rogabat calicem, ad Mat.24. eandem enim pertinet partem, scilicet ad sensualem affectum & illa petitio, & ista quærimonia. Et indicat vtraque humanæ carnis infirmæ fragilitatem, quam se habere veram ac passibilem, passioneq; etiam exhorrescentem Christus Dominus & hac quærimonia & illa petitione significare volebat.

Istud quare me dereliquisti? nonnullā cognoscitur afferre quæstionem, quòd ille sapientiæ magister consubstantialis, patrisq; enarrator, ita sit vicina carnis suæ morte turbatus: vt quasi nescius interroget patrem, cur in hac extrema hora ita fuerit derelictus ab eo, quare inquit: ita me deseruisti? Quæsitū.

Sed hæc & his similia ad humanitatem respiciunt exprimendam. Nec in ipsa passione absens credéda est illi fuisse diuinitas, cum dicat Apostolus: Si enim cognouissent nunquā gloriæ Dominum crucifixissent. Sed passus est impassibilis, per passibilem quam suscepit humanitatem, & immortalis mortuus est: & Solutio. 1.Cor.2.

M qui

qui nunquam moritur, resurrexit.

Super expositioné huius loci. Hoc etiam & Cyrillus optimè aduertit, cum inquit, gratia veri Dei pro omnibus gustauit mortem, tradens ei proprium corpus, quamuis naturaliter ipsa sit vita, & resurrectio mortuorum.

Hoc etiã & eleganter expressit Ambrosius, Super declarationem huius loci. cùm dicit: idem moriebatur, & non moriebatur: sepeliebatur & non patiebatur: sepeliebatur & non sepeliebatur: resurrexit & non resurrexit. Ita & hominem dicimus hodie pati, mori, sepeliri: cùm tamen anima eius nullo fine claudatur.

Quapropter derelictũ se sub interrogatione testatur: quia re vera manibus impiorum tradi non poterat, nisi maiestatis eius potentia talia Ioan. 19. fieri sustulisset, vt palam in euangelio patet. Non haberes in me vllam potestatem: nisi id tibi supernè datum foret.

Vel etiam, pro hebræis hoc dicit, erat enim Christus secundum carnẽ Iudæus, cur me deseruisti, id est cur deseruisti populum Hebraicum, filium tuum cruci affigere: Quemadmodum dicere consueuimus, DEVS tulit me, hoc est humanam natutam, ita & in hoc loco. Deseruisti me, meam naturam & meum populum.

Dilutio alia. Dico etiam & aliud, si illud impossibile concedatur iure precario. Quòd talis dimissio esset quædam corruptio, corrumperetur enim humanitas non in se, sed secundum esse con-

coniunctum verbo, & perderet duo, personalitatem scilicet diuinam sibi, & existentiam diuinam sibi, & acquireret propriam personam sibi, non solum simpliciter, sed etiam existentiam propriam sibi, & simpliciter, & ita non personaretur & sustentaretur in deitate assumente, vt in scholis perbellè de hac re loquuntur.

Quantum autem spectat ad terminos, dicimus, quòd corruptio simpliciter naturæ compositæ (qualis est Christi humanitas) nō attenditur penes esse actualis existētiæ, sed penes esse essentiæ. Quod ex eo clarissimè liquet, quia humanitas Christi per mortē corrupta est, qa anima verè & realiter separata à corpore fuit, & in hoc omnes conueniunt.

Hinc verè ex his quæ prætacta sunt, sequitur, quòd Christus verè sit vnum, vna dumtaxat persona, vna res completa.

Et animaduertendum est in diuinis referre non parū, dicere naturam & rem naturæ, ideò & si plures naturæ sint in Christo, non tamen prædicātur de ipso in recto, dicendo Christus est illæ naturæ, & hoc quantum ad naturam assumptam. Nam ex parte diuinæ naturæ non differūt natura & res naturæ, quia persona diuina, est diuina essentia, non tamen Christus est natura humana. Et ideo Christus non dicitur plura propter naturarum pluralitatem, in ipso existentem.

Quæ in obliquo dicuntur, non numerant

rem, quemadmodum non ſequitur ex parte naturæ humanæ, quòd quamuis eſt anima & corpus ſimul iunctum & anima eſt aliquid vnum, & corpus, itaq; homo eſt plura.

In libro enchiridion dicto. Nec his aduerſatur illud quod Auguſtinus dicit, filius eſt vnicus Dei patris ac virginis. Sed aliud propter verbum, aliud propter hominem: intelligendum eſt hoc modo, vt ſcilicet dicatur eſt aliud, id eſt alterius naturæ vt verbum, & alterius naturæ, vt homo.

Inſtantia prima. Quùm autem nonnulli aiunt, Chriſtus eſt vnum vnitate increata, & vnitate creata, quarum vna non eſt alia, duo itaq; eſt.

Inſtantia ſecunda. Amplius cum inquiunt, Chriſtus eſt aliquid impaſsibile, & aliquid paſsibile, quorum vnũ non eſt aliud, duo itaq; eſt.

Inſtantia tertia. Vlterius quùm aſſerunt: Chriſtus non eſt ſolum Deus, nec tantum homo, non eſt itaq; tantum vnus ſed duo.

Dilutio omnium. His & eiuſmodi generis ſimilibus vna dũtaxat ſolutione fit ſatis. Nam præmiſſæ ſemper ſunt veræ ratione naturarum diuerſarum exiſtentium in Chriſto, ſed ad concludẽdam veritatem exigitur diuerſitas ſuppoſitorum, quæ nõ reperitur in Chriſto, quùm ſolum in ipſo ſit vnũ ſuppoſitum, vna perſona, & vna hypoſtaſis.

Iam aperienda remanet plenior talis vnionis ratio. Huius autem vnionis ratio maxima eſt in Chriſto. Quod luculenter Bernardus inſinuauit, ait enim, poſt vnionem trium perſona-

Libro 5. de conſideratiõe.

ſonarum in vna eſſentia, prima & maxima eſt vnio duarum naturarum in Chriſto.

Vnum quo Chriſtus eſt vnus per hãc vnionem, ad nullam naturalium reducitur vnitatem. Non ad vnum per ſe, nec ad vnum per accidens, & ideò mirum non eſt, ſi philoſophos hæc vnitas latuit, quæ non per naturam, ſed per gratiam facta eſt.

Hinc dico vnitatem poſſe tribus modis attendi, ſcilicet in coniunctorum proportione, & ita maxima eſt Trinitatis vnitas, in qua vniuntur in vna trinitate pater, filius, & ſpiritus ſanctus in vna eſſentia. Et poſt hãc vnitatem, eſt vnitas naturæ diuinæ cum natura humana, quæ diſſolui non poteſt. Et poſtea vnitas naturæ per formam, & magis in homogeneis, ac minus in etherrogeneis, & adhuc minus in coniunctis ex ſpirituali & corporali natura, atque præcipuè ſecundum diſtantiam vnitorum eſt vnio.

Vnitas accipitur ſecũdum tria.

Poteſt etiam attendi virtus vniens, & ita maxima eſt Trinitatis vnitas, & poſt hoc vnitas trium ſubſtantiarum in Chriſto, & minor eſt vnio naturalis: quoniam forma in naturalibus vniens debilior eſt quàm natura vniens perſonas, vel perſona vniens naturas.

Poteſt inſuper attendi vnio, quantum ad ea quæ conſequuntur vnitatem, & ita maxima eſt vnitas trinitatis. Quia ex illa qcquid ſubſtantialiter conuenit vni perſonæ, conuenit & alteri, & econtrario.

Deinde maior eſt vnio naturarũ in Chriſto, in quo ꝓpter communicationẽ idiomatũ quod cõuenit homini, attribuitur Deo, & vice verſa, vt cõgruo ſermone inſinuauit Aug. Factus eſt Deus homo, vt homo fieret Deus.

In ſermone de natiuitate Domini.

Tandem minor eſt vnio naturalis formæ cum materia. Non enim ex iſtarum coniunctione quicquid conuenit formæ, conuenit materiæ & econuerſo.

Dicam iterum, & apertius. Duplex eſt vnitas, quædam vnius in vno, qua Deus & punctus & vnitas vnum dicuntur, de qua non loquimur modo.

Alia eſt vnitas plurium in vno, & inter has vnitates maior eſt vnitas trium perſonarũ in vna eſſentia, atq; poſt illã vnio trium ſubſtantiarũ in vna Chriſti perſona propter ſimpliciſsimum terminum in quo vniuntur, & propter modum vnionis inſeparabilem.

Poſſumus itaq; loqui de vnitate per conuenientiam in natura, & de vnitate per conuenientiam in perſona, prima vnitas in Chriſto quodã modo eſt nulla, quodã modo parua, quodã modo ſumma. Cõparando eñ naturã diuinã ad humanam, nulla eſt in Chriſto naturæ vnitas, quia ex eis non cõſtituitur vna natura. Loquendo aũt de natura Chriſti ex parte corporis, parua eſt vnitas propter corporis multiplicitatem. Loquendo verò de vnitate quantũ ad animam, magna eſt propter animæ ſimplicitatẽ: loquẽdo aũt de ea quantũ ad naturam

turā diuinā eſt maxima, quia inſeparabilis eſt.

Sic vnitas illa in Chriſto eſt ſumma, primò propter illius perſonæ ſimplicitatē, ſecundò propter vnibilium dignitatem, tertiò propter vnitorum inſeparabilitatem: Quartò propter ſingularē modum vnionis, quia nūquam fuit alia huic ſimilis, & in ea natura humana eſt ſuper oīa viſibilia & inuiſibilia, ſiue ſint throni, ſiue dominationes, ſiue poteſtates, exaltata & magnificata. Ideò Auguſtinus inquit. Talis fuit illa ſuſceptio, & quæ hominem faceret Deum, & Deum hominem. In libr. I. de trinit.

Ne autem talis ſententia errorem inducat ſimplicibus, & non verſatis in ſacrarum literarum ſpeculationibus, monet Auguſtinus. Licet homo dicatur Deus, nō tamen congruè dicitur homo dominicus. Non video vtrum rectè dicatur homo dominicus, qui eſt mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus, cùm ſit vtiq; Dominus, & hoc quidē vt dicerem apud quoſdam legi catholicos tractatores, ſed vbicunq; hoc dixi, dixiſſe me nollē. Poſtea quippe vidi non eſſe dicendum, quamuis nonnulla poſſet ratione defendi. Libr. I. retractationum cap. II. I. Tim. 4.

Dicam iam planius, de nota iſta, homó dominicus an ſit appellandus Chriſtus. Auguſtinus vt nuper vidimus, non cōſentit Chriſtum appellandum fore hominem dominicū, cum vtique Dominus ſit, & tamē nihilominus appellatur homo diuinus.

Differentiæ autē ratio eſt, quoniā denomi-

natio quæ fit à natura rei ſubſtantialis, poteſt importare tam prędicationem eſſentialem ratione eius à quo fit denominatio, quàm accidentalem participationem ratione prædicationis denominatiuæ. Dicimus enim humana natura eſt conditio ſeu proprietas bona. Simili modo & in propoſito dicimus natura diuina, ſeu perſona diuina. Homines inſuper ſanctos appellamus ſanctos diuinos. Quia diuinum eſt denominatiuum à diuinitate ſumptũ ſeu à natura diuina. In primo ſenſu Chriſtus verè eſt homo diuinus, quia iſta nota homo ſupponit perſonam diuinam æternam, quæ verè ſubſtantialiter Deus eſt, vt omnes orthodoxi tenent, & pijſsimè.

Denominatio verò ab accedente facta, nõ dicit niſi illius accidentis, vel naturæ accidentalis participationem. Cùm ergo dominicum accidens dicat, in rebus inferioribus accidens eſt, (etſi in Deo ſecus ſit) tamen retinet modũ accidentis: Quia eſt aliquid ſubſtantiam conſequẽs, ideò ſeruat ſibi in diuinis ſuum modũ prædicandi, vt ſit talis enunciationis ſenſus, Chriſtus eſt homo dominicus, hoc eſt participans aliquid de dominio diuino, quæ enunciatio falſa eſt, quia homo in hac enunciatione perſonam diuinam dicit, quæ verè & ſubſtantialiter eſt Deus.

Sed ſi accipiatur denominatio ſecundum quod eſt in diuinis, pro ipſa ſcilicet natura diuina, & non ſecundum rationem nominis, hoc

hoc modo Christus potest dici homo dominicus, quo dicitur & homo diuinus. Hinc Augustinus ait: Licet nõnulla posset ratione defendi, asseritq; se legisse hoc penes catholicos tractatores: Ait enim Rabanus: Cognouit ergo Helchana, quis est iste, nisi homo dominicus Christus Iesus. Hoc etiam apud Ioannem Cassianum inuenimus. Verùm Augustinus proprius loquitur negando superius positam enunciationem. Super lib. primum Reg. 1.

Ista enim vox vnio, generale quoddã nomen significat, ideò vnionis modus, seu species vnionis Christi vocatur hypostatica. Ex cuius termini notitia vera, maxima pars errorum ipsorum sectariorum orta est. Cuius vnionis hypostaticæ naturam ex duobus manifestandam duximus, primum ab ipso Dei verbo: Tandem ex patribus. Seruator ab Isaia Emanuel appellatus est, hoc est nobiscum Deus. Quod tamen clarius in noua lege explicatum est. Et verbum caro factum est. Ioan. 1.

Tripudiet igitur propter nos sanctorum spirituum multitudo. Vnigenitus homo factus est, natus est secundum carnem, innotuit dominicæ erga nos benignitatis latitudo, & incomparabilis misericordiæ magnitudo. Nã testamentum vetus clamat, absorpsit mortem validam, & iterum: Abstulit Deus omnem lachrymam ab omni facie. Abstulit autem quodam modo omnis faciei lachrymam. Declarauit veterem illam maledictionem ineffi- Isa. 25.

cacem, & aduersantissimum mortis destruxit imperium, vt Apostolus nos docet: En ego & pueri, quos mihi tradidit Deus. Iam cùm pueri carnem & sanguinem habeant, ipse similiter ijsdem præditus fuit, vt per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperiũ, hoc est diabolum, eosque liberaret, qui mortis metu per omnem vitam seruituti obnoxij erant.

Heb.2.

Tamen fieri cum multis modis intelligatur, reiecta multiplicitate, modum insinuauit, cùm inquit: Quid igitur est hoc, similiter particeps fuit eorum? vel illud nimirum quia factus est sicut nos, ex sancta Dei genitrice Maria in carne & sanguine. Nam cùm verbũ Dei sit natura Deus, & verus consubstantialis & coæternus patri, & suæ sublimitatis excellẽtia honorificẽtissimus, & in forma & similitudine eius qui genuit: Non est rapinam arbitratus suam cum Deo equalitatẽ, sed seipsum eò vsq; ad nihilũ redegit, vt sumpta seruili forma factus sit hominum similis, & figura repertus vt homo, sese adeò deiecit, vt obediens fuerit vsque ad mortem, & mortem quidem crucis. Spontè itaque vsque adeò se humiliauit, qui de sua plenitudine dat omnibus. Dimisit se propter nos, à nullo coactus, sed vltrò propter nos formam serui accepit. Qui secundum naturam liber est, inter homines similis factus est nobis qui super omnem creaturã est. Inter eos qui sub morte sunt, qui viuificat mortuos. Ipse est panis viuus, qui vitam dedit mun-

Philip.2.

mundo, factus nobiscum sub lege, qui super legem, & legislator est Deus. Inter eos qui initium & natiuitatem habent, qui ante omne seculum & tempus, imò seculorum conditor & factor est. Quomodo igitur fuit, sicut quoque sumus & nos?

Modus verò alibi ab Apostolo declaratur: sed vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum sub lege, natum ex muliere, vt eos qui sub lege erant, redimeret, quo adoptionem adipisceremur.

Modum autẽ assumptionis Apostolus quoque manifestauit, cùm ait: Abrahamo autem promissa sunt illa, & eius semini, non dicit & seminibus quasi in multis, sed de vno, & semini tuo, qui est Christus. Gal.3.

Et quoniã in homine natura humana tota corrupta erat Adami peccato, totam etiam assumpsit, vt totam eam curaret, oportet enim confiteri in Christo duas integras & veras naturas, & res integras & perfectas substantias, deitatem, animam, & corpus. Nec tamẽ Christum diuidimus, sed vnam solùm personam his tribus substantijs conflatam, diuinitate, anima, carne, seu verbo, anima rationali & carne, Christum vnicum confitemur. Qui ergo Christum nominant, non vnum hominem vulgarem, quemadmodum nos sumus, nominant, sed verbum ex Deo natum, hominem factum & incarnatum auditoribus significant. Et ideò valdè aduertendæ sunt Rom.3.

loquu-

loquutiones, quę in sacra scriptura de Christo habentur. Nam propriæ loquutiones diuinæ naturæ sunt æternitas, omnipotentia, immortalitas. Propriæ humanæ sunt nasci, mori, crucifigi. Tamen veræ sunt propositiones in concreto: Christus est mortuus. Mediatorem autem Regem, Sacerdotemq; esse, non de natura patiente tantũ dicuntur hæ voces, sed de persona placante, victrice, exaudiente, & exhibente noui testamenti promissiones. De quibus infrà dicemus.

IDeò nostra ista Tractatio firmioribus est munienda præsidijs, & res oscitantius examinanda Euangelistæ testimonio, qui ait:
1.Ioan.i. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod & spectauimus, & nostris ipsi manibus tetigimus, de verbo vitæ loquor. De verbi diuinitate differit, (inquit
In argumento epistolæ. Athanasius) ostendens illud semper in Deo fuisse, ac docens, Patrem lucem esse, vt verbum ita esse cognoscamus ex patre, tanquam fulgorem à luce.

Tamen draco apostata, fera verè pessima, & Deo rebellis non quieuit, neque vnquam ab improbitate quam insitam habet, destitit, sed damnabilem inuidentiam & impietatem quà aduersus ecclesiam concepit, sibi ipsi parturiuit, suscitans incontinentes impiorum ac scelestorum linguas aduersus Diuinitatẽ Christi inenarrabilẽ. Verùm deprehensi sunt vani

&

& falſi in ratiocinationibus ſuis, & caligauit illorum deſipiens animus, ideò modum in Chriſto retinere non valuerunt. Nã ipſa Chriſti perſona duplici natura cõflata eſt, ideò neceſſe eſt, vt geminas vtriuſque naturæ operationes poſsideat, habeat, atque obtineat. Diſcernendæ itaque ſunt appellationes quæ naturarum proprietates ſignificant. Nam qui naturas confundunt, aut diuinitatem negant, aut humanitatem extra limites ponunt, ita vt non vereantur fateri à natura diuina abſorptam, aut ei adæquatam eſſe fingant. Hoc inde oritur, quia naturæ vtriuſq; modum retinere nõ valentes, mirum non eſt ſi ruunt. Diſertè itaque dictum eſt in principio, communicationem fieri in concreto, non in abſtracto: Nam ſicuti neceſſe eſt perſonæ vnitatem, ita oportet duas naturas confiteri, vt Ioannes ait. Quod fuit ab initio. Differens autem de diuinitate verbi, exponit fidei noſtræ myſterium, non eſſe rem nouitiam, ſed eſſe ſempiternum ab initio: Nunc verò manifeſtatum in Domino, qui vita eſt ſempiterna, & verus Deus.

Qui ergo Arrij ambages ſubdolas & commenta falſiſsima modernorum antetrinitariorũ vult diuertere, & Eutychetis ſophiſmata & verſutias cauere, appoſitè verbi naturam ſpeculari tenetur, & humanam rimari ſubſtantiam, & ita videbit, quò tendat vbiquaria chimæra noſtrorum modernorum hæreticorum.

Hæc verò appoſitè conſiderari nequeunt niſi prius verbi ſpeculata æternitate, tandemq; intelligemus, cur venerit in mundum.

Non aliunde verbi æternitatem probandá accepimus, quàm ab ipſa Ioannis tractatione, in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et primum quidem inquit Athanaſius, perinde atque in euangelio, ita in hac epiſtola de verbi diuinitate differit.

Ioan. 1.

Cauillus hæreticorum.

Sed quoniam quidam ſcurrilis luſor Blandrata, & alij hanc ſententiam, vt in alio loco à me dictum eſt, ad ſeruatoris prædicationem trahunt. Ita vt Dei filius, æternum Dei verbum, cœperit eſſe Deus in nouiſsimis temporibus, in ipſo dumtaxat prædicationis initio.

Refutatio

Quid igitur ad hæc qui nouiſsimum nobis filium ita eſſe prædicant, vt nec Deus quidem eſſe credatur: Quid inquam dicere poſſunt? Non erit tibi Deus recens ſcriptura clamat? Quomodo autem non erit recens, ſi nouiſsimis factus temporib⁹ Deus eluſit? Quomodo etiã non mentiebatur dicens ad Iudęos. Amen dico vobis antequam Abrahamus fieret ego ſum. Si enim in principio erat, quæ mens poterit vnquam vltra illud erat conuolare? Aut quando illud erat, mente ita tenebimus, vt cogitationes noſtras non antecedat? Stupore itaque perculſus clamat Micheas. Et tu Bethlehema Ephrata, quæ es præfecturarum

Pſal. 80.

Ioan 8.

Micheæ 5.

Iudeæ

Iudeæ minima, ex te mihi prodibit, qui sit in Israel dominator, cuius erit antiqua origo ab æternis temporibus. Quam sententiam æternam verbi generationem monstrantem, ad illam quæ in tempore est generatio pontifices & scribæ accommodant. Quùm inquiunt, ex te mihi prodiet dux qui reget meum Israeliticum populum. Eodemq; etiam stupore perculsus clamat Esaias, generationem autẽ eius quis enarrabit? quia est ex viuorum terra excisus. Mat. 2. Isa. 53.

Tollitur enim profectò à terra generationis vnigeniti ratio: omnem enim mentem excedens, omnemq; rationem humanam superans, ineffabilis est. Quomodo igitur factum, creatumq; nonnulli asserunt? quùm mens nostra ratione ac tẽpore creata omnia facilè circumscribat, generationẽ verò vnigeniti nullo modo comprehendere queat? in principio inquit, erat verbum. Principium sanè temporis nullo pacto possumus in vnigenito filio eius intelligere, qui enim ante secula est, eius substantia æterna est? præterea quùm ad exitum peruenire diuina recuset natura, eodem enim semper modo se habet, iuxta illud: tu autem idem ipse es, & anni tui nón deficient. Ioan. 1. Psal. 101.

A quonã principio, temporis spacijs mensurato, filius incipiet? Qui natura Deus ac ideò verè clamans. Ego sum vita, peruenire in exitum non potest. Ioan. 14.

Prin-

Principium enim temporis quantitate significatum nunquam in seipso sic esse potest, imò ipsum verè nec intelligi quidem, vt finem & exitum suum non respiciat: quasi enim ad finem principiũ dicimus, & finem rursus quasi ad principium referentes nuncupamus.

Quoniã igitur ante secula filius est, in tempore genitus esse non potest: sed est semper in patre, quasi in fonte, sicut ab ipso dictum est, ego ex patre exiui ac veni in mundum.

Ioan. 8.

Et vt res ista intelligi possit, iam dicam clarius: ex rebus humanis ascendere oportet ad diuinorum cognitionem. Et considerare necesse est, sapientiã in homine habitum dici, quo mens nostra in rerum altissimarum cognitione perficitur, & tales sunt res diuinæ.

Cùm autem secundum sapientiæ habitum in intellectu nostro formatur aliqua conceptio de rebus diuinis, ipsa intellectus conceptio, quæ interius est in intellectu nostro, sapientiæ nomen sortiri solet, iuxta illam loquendi formam, qua actus & species nominibus habitum à quibus procedunt nominãtur, vt exemplis appositè significamus. Quod eñ iustè fit, solet interdum iustitia appellari, & quod fit prudenter, prudentia, & ex hoc modo dicendiq; genere, quod sapienter excogitatur sapientia dicitur.

Libro 3. de anima.

In Deo tamen sapiẽtia quidem oportet dici, ex eo quod seipsum cognoscit, verum quoniam nõ cognoscit per aliquam speciem, nisi per

per essentiã, imò ipsius intelligere est eius essentia, hinc sapientia Dei, habitus esse non potest, sed est ipsa Dei vsia, siue essentia.

Filius itaq; Dei, est verbum & conceptio Dei intelligentis seipsum, ideò euãgelista clamat: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Ioan.1.

Et quoniam non fuit, nec est, nec erit Deus vllo vnquam momento quin non intelligeret, ideò semper fuit, est & erit verbum intellectũ, vt euangelista inquit: quod fuit à principio. Hinc clarum est, quod ipsum Dei verbum tanquam sapienter mente diuina conceptum, propriè concepta seu genita sapientia appellatur, vt Apostolus fatetur, sed ipsis vocatis tum Iudæis, tum græcis, Christũ Dei potentiam, Deiq; sapientiam. 1.Cor.1. 1.Cor.1.

Ipsum autem sapientiæ verbum mente conceptum, est quædam manifestatio sapientiæ intelligẽtis, quemadmodum in nobis omnes habitus per actùs manifestantur. Libr.3. de anima.

Quùm autem Seruator dicit: exiui ex patre, & veni in mundum. Ioan. 8.

Quasi fontem patrem intelligimus, in quo verbum est, sapientia, virtus, character, splendor, & imago eius existens.

Quare si nullum vnquã tempus erat, quando absq; sapientia, virtute, charactere, splendore, ac denique imagine sua erat pater, fateri necesse est, coæternum esse filiũ patri qui patris sapientia est.

Sed quoniam diuina ſapientia lux dicitur, qꝗ in puro actu cognitionis conſiſtit, lucis aũt manifeſtatio ſplendor ipſius eſt ab ea procedens, appoſitè & verbũ diuinæ ſapiẽtiæ, ſplendor lucis nominatur vt ait Apoſtolus. Qui cũ
Heb.1. ſit eius glorię ſplendor & forma expreſſa ſubſtantiæ, ex quo iure filius manifeſtationem ſi-
Ioan.17. bi aſcribit. Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus.

Quamuis autem filius ſapientia genita ſit: Nomen tamen ſapientiæ abſolutè acceptum, cõmune eſt patri, filio & ſpiritui ſancto. Nam ſapientia quæ per verbum reſplendet, eſt patris eſſentia, & vſia.

Nec tamen abſurdum eſt quod diximus fi-
Declaratio paradigmatũ. lius eſt in patre, tanquam in fonte.

Nihil enim aliud nomine fontis ſignificare voluimus, quàm vt ex quo, filius enim in patre, & ex patre eſt, non profluens foras, ſed aut quaſi à ſole ſplendor, aut quaſi ab igne inſita ſibi caliditas.

In his enim exemplis vnum ab vno produci, & ambo conſempiterna ita eſſe conſpicimus, vt aliud abſque alio nec eſſe poſsit, nec naturæ ſuæ rationem retinere. Quomodo enim erit ſol ſplendore priuatus? vel quomodo erit ſplẽdor, niſi ſol ſit, à quo defluat? Ignis verò quomodo erit calore carens? vel calor vnde manabit, niſi ab igne? aut ab alio forſan non procul à ſubſtantiali qualitate ignis diſiecto.

Quem-

Quemadmodũ igitur quę ab istis profluũt, simul cũ illis sunt, vnde profluũnt, ac semper vnde fluant, ostendunt: sic in vnigenito intelligendum est. Ex patre enim esse fatemur, & in patre esse testamur. Non alienus natura, neque post patrem deitate, & natura. Ante me non erat Deus, & post me non est factus Deus. Ideò in ipso patre semper, & cum ipso, & ex ipso secũdum ineffabilis generationis modum est filius. Isa. 33.

Quùm autem inquit: & verbum erat apud Deum, inanem iam, & procul à veritate sententiam illorum ostendit, qui ex nihilo productum filium arbitrantur. Ioan. 1.

Et vt obmutescere faciamus insipientium hominũ ignorantiam, dicimus filium esse de substãtia patris, & ideò optimè consulũt huic negotio ponentes differentiã inter veram generationem qua res aliqua procedit vt filius, & factionem qua agens producit aliquid de exteriori materia.

Quemadmodũ artifex facit statuam ex ære, homo verò generat hominem de seipso quantum ad carnẽ attinet, Deus aũt de nihilo facit, quia vt optimè Augustinus inquit, in aliunde factis tota ratio facti est agentis potentia, & hoc latuit quàm multos philosophos. Si itaq; filius procederet à patre vt de nihilo existens, se haberet ad patrem, quemadmodum se habet ad artificem artificiatum, nec esset verus proprius ac naturalis filius Dei, vt In epistola ad Volusianũ.

1.Ioan.5. ſcriptura clamat. Vt ſimus in vero filio eius, Ioan.1. hic eſt verus Deus & vita æterna. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, in Deo ſcilicet patre, & ſtatim ſubnectit, & verbum erat apud Deum.

Demonſtrat filium eſſe de ſubſtantia patris, idque tribus modis intelligi pro nunc poteſt.

Primò ex parte illius qui producit, procedit enim à patre vt ſubſiſtens perſona, ſecundum modum naturæ, ſeu naturalis emanationis.

Secundò ex parte illius qui producitur, filius enim plus dicit quàm genitus, nam ad hoc quòd aliqua res gignatur ab aliquo, ſufficit vt naturaliter procedat ab eo ſecũdum aliquem ſimilitudinis modum, ex quo quamuis color ſuam ſimilitudinem gignat in medio, ſimilitudo tamen non eſt coloris filia. Ideò celebres philoſophi dixerunt, quòd pater & filius ſunt vnum in forma. Auerroes lib.7. metaph.

Tertiò patet idem ex modo producendi, procedit enim à patre per modũ intellectualis naturæ, ſicut verbum à producente ſeu dicente.

Et quia procedit per modum naturæ, neceſſe eſt vt patris ſubſtantia ei communicetur, atque natura.

Hinc non ſine cauſſa vbique neceſſariò ac exactiſsimè erat, repetijt, vt æternam verbi generationem expreſsius deſignaret.

Sed

Sed quid perdo verba, in re luce meridiana longè ſplẽdidiori, & in multis locis ab ipſo Dei verbo clariſsimè demõſtrata, & in quatuor illis ſynodis[1], quæ vt ſacroſancta Dei euangelia vetuſtiſsimi patres venerati ſunt, in quibus longè ante hæc tempora, quæ iam dudum controuerſa erant, definita ſunt. Nam quùm apud Deum verbũ eſſe prædicet, vnum quidem eſſe filium, ſubſiſtentemq; in ſeipſo, & vnum rurſus eſſe Deum patrem apud quem verbum eſt, apertiſsimè oſtendit. Ioan.1.

Quùm verò quidam garriunt, quomodo enim quod vnum eſt numero, ipſum apud ſe ipſum eſſe intelligetur. Cauillus.

Sed latius ac exquiſitius de hac re dicam, conſubſtãtialis profectò filius eſt patri, & pater filio. Adeò enim ſumma in eis (vt notis ſcholæ vtar) & rectè, identitas eſt, vt in patre filius, & filius in patre conſpiciatur, qui em̃ videt me, ſeruator inquit: patrem meum videt, & rurſus: ego in patre, & pater in me eſt. Refutatio aduerſariorum. Ioan.14.

Quod quùm ita ſit, non tamen idcirco aut filius in propria hypoſtaſi, aut rurſus pater per ſeipſum ſubſiſtere negabitur.

Non enim ſumma illa identitas perſonas & hypoſtaſes confundet. Eſt enim vna & nõ trina deitas, & tres tantum hypoſtaſes faciunt trinitatem.

Nec quoniam vnum ſubſtantia ſunt pater & filius, vt ſeruator quoque aperiens hoc dicit: Ego & pater vnũ ſumus, idcirco numero Ioan.10.

etiam vnum erunt: Nam natura quidem eadẽ in vtroq;, propriè autem & verè ſubſiſtit vterque. Ita enim pater verè pater, & filius verè filius erit, connumeratoq; ſpiritu ſancto plenitudinem ſancta Trinitas, maieſtatemq; conſequetur, & orthodoxè.

Nam ſi qui filius ipſe quoq; & pater erit: quę ratio nominum varietatem induxit? Si enim nullo modo genuit, quare pater vocatur? Si autem genitus non eſt, cur filius nuncupatur? Hæc enim nomina ſententiam ipſam nobis aperiunt atq; declarant.

Pſal. 20.

Ea enim eorum quæ reciprocantur natura eſt, vt ſint ſimul natura, tempore & definitione, & pręſertim in relatiuis realibus quæ reciprocantur ſecundum eſſe, cuius generis ſunt pater & filius. Cuius filij æternitatem & eandem cum patre æqualitatem, Paulus demonſtrat, quùm inquit, quem omnium ſtatuit hæredem, per quem fecit & ſecula. Et euangeliſta inquit, propter hoc magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non tantum ſoluebat ſabbatum, ſed quia proprium patrem dicebat Deum, æqualem ſe Deo faciens.

Lib. 5. metaph. in capite de relatione. In prædicamentis in cap. de ad aliquid. Heb. 1. Ioan. 5.

An naturalis natiuitas non eſt, vbi per nomen patris proprij, naturæ æqualitas demonſtratur. Ceſſet ergo per impietatem blaſphemantium, Blandratæ & aliorum vitioſæ intelligentiæ excuſatio, quùm per auctoritates diuinas ſub ſignificatione natiuitatis proprietas naturalis oſtenſa ſit. Patrem ſuum dicebat

Deum

Deum æqualem ſe Deo faciens.

Oſtenſa itaque breuibus verbi æternitate, ſupereſt in omnibus æqualitatem filij cum patre demonſtrare, quam rem appoſitè patres orthodoxi in omnibus vna dumtaxat ratione ſignificarunt, quùm inquiunt, ſemotis relationibus diuinis quicquid conuenit vni perſonæ, conuenit & alteri.

Quæ vt commodius intelligantur, dicam clarius. In diuinis, vt hinc principium ducamus, ſunt duæ emanationes, generatio ſcilicet & ſpiratio, de priori habetur. Generationem eius quis enarrabit? de poſteriori dicitur, Iſa.53.
quùm venerit ille ſpiritus veritatis qui à patre procedit, quem ego vobis mittam. Ioan.14.

Eſt autem generatio productio ſubſtantialis per modum naturæ.

Seu generatio eſt productio ſubſtantialis naturalis, ex ſimilibus de tota ſubſtantia ſimilia procreans.

Nam quandoque aliqua producuntur de ſubſtantia, tamen generans & genitum ſunt diſsimilia, vt caro & vermes.

Quandoque autem producitur ſimile ſed non de tota ſubſtantia, ſed tantum de parte ſubſtantiæ vt homo generãdo, generat hominem de parte ſubſtantiæ, quia nõ generat animam rationalem intelligentem quam Deus dat.

Tamen in diuinis pater generando, filium ipſum generat de tota ſubſtãtia, & ideò omnia

dedit ei pater in manus.

Spiratio est productio substãtialis per modum volũtatis, quia spiritus sanctus amor est, qui per modum voluntatis procedit, estque spiritus sanctus nexus patris & filij spirãtium vnica spiratione, vnoque actu spiratiuo diuinum flamen.

Sunt autem in diuinis tres hypostases seu supposita, pater, filius, & spiritus sanctus, quæ & personas appellant orthodoxi, significatione desumpta ab ipsa vocis ethymologia, hoc est per se vnæ, & solitariæ, quorum nomina seruatoris baptisma insinuauit, filius enim baptizatur, qui tactus suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis. Ioannes vidit Dei spiritum descendentem quasi columbam, & in eum venientem. Et ecce vox patris intonuit eum esse filium suum charissimum, qui ipsi parenti acceptus est.

Mat. 3.

Relationes sunt quatuor, paternitas, filiatio, processio & spiratio, tamen spiratio nõ est relatio personalis, sed personarum, quia simul pertinet ad patrem & filium.

Quemadmodũ enim in rebus natura constantibus singulares homines proprijs qualitatibus ad inuicem sunt seiuncti, ita ipsæ diuinæ personæ proprijs notionibus innotescunt diuisæq; sunt.

Notio enim nil aliud est, nisi qua persona diuina innotescit, & ab alia diuina persona distinguitur. Quæ quinq; sunt, paternitas, innasci-

nascibilitas, filiatio, processio, spiratio.

Paternitas est generatio actiua.

Filiatio est generatio passiua, vt scriptura clamat, filius meus es tu, ego hodie genui te. Psal. 2.

Processio est passiua spiratio, & ita spiratione pater & filius vno spirationis actu spirant spiritum sanctum qui ab eis spiratur.

Proprietas in diuinis nil est, nisi quædam res per quam persona innotescit, vt est paternitas, filiatio, & passiua spiratio, tamen omnes tres personæ in potentia, maiestate, & æternitate sunt æquales. Hinc pijssimè dixerunt patres opera in diuinis, esse in duplici differentia, sunt enim opera ad intra, & talia sunt distincta, ita enim pater generat, vt nulla ratione possit generari, & filius generatur vt generare non possit, quia non decet, & ita pater & filius spirant diuinum flamen vt nulla ratione spirari possint, & spirtitus sanctus ita spiratur, vt spirare nequeat.

Ipsa verò Trinitatis opera ad extra sunt indiuisa, quia communia sunt toti trinitati: Ideò scriptum est, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Gen. 1. Et hæc opera sunt, quæ in diuinis æqualitatem in omnibus faciunt.

Equalitas autem nunquam ibi esse creditur, vbi vnio est: nec tamē illic reperitur, vbi differat. Ita similitudinis æqualitas, nec solitudinem habet, nec diuersitatem, quia omnis æqualitas nec diuersa est, nec sola.

Ioan.5. Ideò & seruator inquit. Non potest filius à se facere quicquam, nisi quòd viderit patrem facientem: quæcunq; enim ille facit, eadem & filius facit similiter, & subdit sicut enim pater suscitat mortuos, ita & filius quos vult viuificat. Nec enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Qui non honorificant filium, non honorificant patrem qui misit filiū. Ex qua sententia vnam, eandemq́ue patris & filij expressam & notam æqualitatem habemus.

Propositionis quidem ordo id exigebat vt singula quæq; genera singularum omniū causarum pertractarentur, & quia Deum esse dominum nostrū Iesum Christū, filium Dei natiuitate, natura, potestate, professione docuissemus demōstratio nostra gradus singulos dispositionis propositionis, ꝓpositę percurreret.

Nec potest filius in omnibus eandem cum Ioan.5. patre æqualitatē non habere, qui ait omnia enim quæcunque pater facit, eadem & filius facit. Similiter, exæquata virtus est per naturæ indissimilis vnitatem, vtriusque autem operandi natura non differt, quùm illud quod pater operatur, illud idem etiā operetur & filius, qui in omnibus patri in natura se demonstrauit æqualem.

Testatur enim primū naturę virtutem, cum Ioan.10. de ouibus suis ait: Nec rapiet eas quisquam de manu mea: Consciæ potestatis hęc vox est, imper-

imperturbatæ virtutis libertatem per id quod nemo oues de manu sua arripiat confiteri.

Pater meus quod dedit mihi maius est omnibus his, ego & pater vnum sumus.

Non enim degenerat per natiuitatē natura, ne eadem sit: neq; rursum quia eadem est, intelligentiam natiuitatis ostendit: Quia natiuitas nihil in se admittit alienum.

Ego & pater vnum sumus, vt quod vnum sunt, nec diuersum, nec solitarium credetur, non alia in vtroque per natiuitatis & generationis proprietatem existente natura.

Nunc autem hæreticorum furor iam Dominum in cœlis sedentem, quia exemplo Iudæorum in cruce agere non possunt, pari tamen infidelitate hoc eum quod est, denegant, & cùm non posśint negare quæ dicta sunt, tamen scripturam aliò vertentes: odium impietatis exercent, verborum lapides inijciunt, & si possent, de throno suo eum in crucem retraherent.

Nam de Iudæis ad dicti superioris veritatē cōmotis ita scribitur, tulerunt lapides vt lapidarent eum, quorum delyriū detestatur seruator inquiēs. Multa vobis præclara opera, meo patre auctore edidi, propter quæ vultis me lapidare, cui Iudæi sic responderūt: ob præclara opera nō lapidamus te, sed ob impia dicta: & quod homo cùm sis, Deum te facis. Ioan. 10.

At verò tú hæretice, quid agas ac profitearis agnosce, & eorum te intellige esse

con-

consortem, quorum in te præfers perfidiæ exemplum.

Ad illud enim quod dictum est, ego & pater vnum sumus, Iudæi lapides eleuauerunt, & eorum impius dolor ad sacramentum fidei salutaris impatiens, vsque ad impetũ inferendæ mortis erupit.

Quid tu Blandrata non habendo quem lapides, negando minus efficis? non differt voluntas, sed voluntatem tuam inefficacem esse cœlestis thron⁹ efficit. Lapides em̃ illi in corpus eleuant, quanto tu Iudęo irreligiosior? qui in spiritum blasphemiam effutis, atque impingis? illi in hominem insurrexerunt, quem glo-
1.Cor.2. riæ Dominum non cognouerunt, tu in Deũ, illi in diuersantem in terris: tu in throno virtutis sedentem, illi in ignoratum : tu in cõfessum, illi in moriturum: tu in iudicem seculorum, illi dicunt tu quùm sis homo facis teipsum Deum: tu dicis factum Deum ab exordio ꝑdicationis, tamẽ vtrinq; dicitis facis teipsum Deum, hoc cõmune in eum impij vestri oris opprobrium est. Negas enim Deum, ex generatione Dei, negas filium ab æternttatis natiuitate? Negas hoc quod ego & pater vnum sumus, confessionem vnius in vtroque, atq; consimilis esse naturæ.

Non est relictus ambigendi locus, quin de natura natiuitatis æternæ dictum sit, ego & pater vnum sumus. Vnum eos effecit esse natiuitas, hoc enim totum ex eo est, quòd Dei se filium

lium sanctificatum à patre profitetur, & professio Dei filij confirmat hoc. Si non facio opera patris, nolite credere mihi: sin facio, sin minus mihi creditis, at factis credite, vt & patrem in me, & me in eo esse cognoscatis, ac credatis.

Si non opera patris facit, non est ei credendum, profitenti se filium Dei esse. Quid hic adoptio, quid indulgentia nominis loci inuenit. Non exæquatur ac similis est Deo creatura, neque ei naturæ alienæ potestas comparatur. Sola natiuitas filij, Deo nõ impropriè per similitudinem est æqualis.

Et quia sub sacramento assumpti corporis, & nati ex Maria hominis, Dei filius non intelligebatur, fides Blandrata nobis intimatur ex gestis quùm inquit: Si autem facio & si mihi minus vultis credere factis credite.

Non habet fides Apostolica duos Deos, sed vnum Deum, quia nec duos patres, nec duos filios, confitendo patrem, confessa est filium, credens in patrem, credidit & in filium. Quia & nomen patris habet in se propter reciprocationem filij nomen. Nõ enim nisi per filium pater est, & significatio filij, demõstratio patris est, quia non nisi ex patre filius est.

In vnius itaque confessione non vnus est, dum & patrem consumat filius, & filij ex patre natiuitas est. Non mutatur autem per natiuitatem natura, ne secundum sui similitudinem generis eadem sit. Eadem verò ita est, vt

per

per natiuitatem & generationem vterque potius, vnum confitendum esse, quàm vnus.

Apostolica igitur fides siue patrem prædicabit, prædicabit Deum vnum. Siue filiũ confitebitur, confitebitur Deum vnum. Quia eadem atq; indissimilis sit Dei natura in vtroq;. Quòd dum & pater Deus, & filius Deus est, & vnum sit naturæ nomen vtriusq;, vnũ vtrumque significat. Nam ex Deo Deus, vel in Deo Deus. Nec duo sunt dij, cùm vnus ex vno in naturæ & nomine vnius maneat.

Non incertam aut dubiã seruator tanti sacramenti doctrinam reliquit, nec nos in ambiguæ intelligentiæ errore deseruit. Ipse enim omnem huius doctrinæ intelligentiam reuelauit Apostolis, ego inquit: sum via & veritas & vita. Nemo venit ad patrem nisi per me. Si me cognosceretis, meum quoque patrem cognosceretis, & iam nunc eum cognoscitis et videtis. Et Philippus: Domine, inqt ei, ostende nobis patrem, & satis erit nobis. Cui Iesus: Tantum iam tempus vobiscum sum, & tu me non nosti? Philippe qui me videt, patrem videt, qui fit vt dicas, ostẽde nobis patrem? Nõ credis & me in patre, & patrem in me esse? quæ ego verba vobis dico, mea sponte nõ dico: sed ipse pater, qui in me manet facit opera. Credite mihi, & me in patre, & patrem in me esse: aut certè de ipsis factis mihi credite.

Ioan. 14.

Quæsitũ. Si scitis me, patrem meum scitis, homo Iesus Christus cernitur, & quomodo sit ipse cogni-

gnitus, si erit cognitus pater, cùm naturæ suæ, id est hominis in eo habitum, Apostoli recognoscunt, & liber à corporali natura & carne Deus, non in hac corporalis carnis infirmitate noscendus sit? Phil. 2.

Verùm in sacramento assumpti corporis, diuinitatis paternæ naturã in se dominus confirmans, hunc ordinem tenuit: Si scitis me, & & patrem meum scietis, & amodò scietis eum & vidistis eum. Solutio.

Tempus visionis separauit à tempore cognitionis, nam quem cognoscendum ait, eundem iam dixit, & visum, vt naturę iampridem in se conspectæ scientiam, ex tempore nunc huius reuelationis acciperent.

Qui me videt, videt & patrem? Non tenes vnionem, vbi per coniũctionem ipsam paterni nominis significatur adiectio. Etenim quũ dicitur & patrem.

Quæ enim ignorandi patrem aut ostendẽdi ignorãtibus necessitas relinquebatur, cũ pater in filio visus esset? visus aũt adeò est ex ꝓprietate naturæ, dũ ex indifferentia atq; in genere veritatis vnũ sunt natus, & generãs, vt hic domini sermo sequeretur. Non credis, quia ego in patre, & pater in me est?

Inseparabiles enim esse patrẽ & filium per naturalẽ similitudinẽ, nõ possumus alijs verbis docere, nisi filij. Nã operari per patrem filium non est exteri, aut differentis. Sicut non vnius est, nõ loqui ab se, qui loquitur, neque

rursum alieni ac separabilis sit, loqui per loquentem, sed hoc horum sacramētum est, qui vnum sunt, qui vterque nō aliud sunt, qui per naturæ proprietatem in sese sunt verum inquiunt, si filius est cum patre eiusdem substantiæ, erit filius vtique patris imago expressa? Quid ergo prohibet vt nos qui Dei imaginem gerimus, ne eiusdem substantiæ filij Dei dicamur?

Cauillus sectariorum.

Refutatio

Sed nos ô contentionis cupidi, per gratiam filij Dei sumus, Dei autem verbum, ipsius Dei filius est secundum naturam. De illo enim dicitur: Quis similis tibi Domine in Dijs? non enim deforis, verùm naturaliter filius est. Sed de nobis dicitur. Ego dixi Dei estis, & filij excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus principum cadetis. Ita enim solùm filius vera patris imago est, vereq; solus dicere potest, ego in patre, & pater in me est, & qui videt me, videt patrem meum, non credis quia ego in patre, & pater in me est. Qui videt me, videt & patrem meum. Ita enim pater & filius similes in omnibus sunt, vt cùm æternus sit pater, æternus etiam sit filius, cùm immensus sit pater, immensus vtique & filius est. Est enim vnus Deus, non tamen sunt tres Dij.

Psal. 88.

Psal. 82.

Ioan. 14.

Omnis terra hanc veritatem adorare debet, quia cœlum ipsum adorat, est enim vna non trina deitas, quem Deum creaturæ omnes tremescunt, quia Deus est sphæra intellectua-

ctualis, cuius centrum vbique circumferentia verò nullibi.

Iouis enim omnia plena. In Bucolicis.

Iuppiter est quodcunque vides, quodcunque mouetur. Quæ omnia cùm verbum etiam Deus sit, scriptura clamat, & Deus erat verbũ. Ioan. 1. Nam quod in tempore factum est, aut quod à nihilo productum reperitur, id natura Deus esse non potest: Dei autem verbum, quoniam æternum est, & quoniam Deus est, patri consubstãtiale est, & vbiq; est. Hæc necessariò reiecturi vbiquitatem, & chimericam carnis omnipræsentiam, proponenda erant, vt facilius reliqua omnia sequentia intelligerentur.

Nil itaque aptius, nilq; commodius esse potest ad insinuandam ipsam nostri seruatoris personam, quam si consideremus, Christi personam conflatam esse ex duplici natura, diuina dumtaxat, & humana. Quantum autem ad diuinam attinet, Deus est concors cum patre in omnibus, quantum autem ad humanã spectat, non tantum à patre, verum & ab angelis minoratus est. Paulò angelis minorem factum Heb. 2. inquit Apostolus: vidimus Iesum, propter necis supplicium, gloria & honore coronatum, vt Dei beneficio præ cunctis pateretur mortem,

Sed quoniam hæresum inuentores cum sibi ipsis tum alijs perditionis foueas effodientes eò prolapsi sunt opinionum vanitate, vt opinentur & dicant etiam recenter natum esse filium,

lium, quod superiori thesauro confutauimus.

Alij autem eò prolapsi sunt, somniantes deliria Eutychiana & Enthusiastica vera esse, vt fingunt naturam humanam à diuina absorptam esse, aut humanam diuinæ exæquatam. Ideò quamplurima maturo examine declaráda sunt.

Quæ vt clarius & apertius intelligi possint, dicemus iterũ, Christi personam, tribus substantijs conflatam esse, deitate, seu diuinitate, carne & anima, seu corpore & anima.

Nulli dubium esse arbitror, Christũ quantum ad diuinitatem attinet, æternum esse, immensum, intercus incircumscriptibilẽ, & vbique ita vt nulla loci differentia comprehendi contineriq́; queat, est enim vbique.

Quantum autem ad animæ substantiam attinet, eam non de Dei substantia, vt Manichæi fassi sunt asserendum est esse, sed de nihilo, ita vt eandem definitionem quã Augustinus animæ omnium hominũ dedit, & Christi animæ etiam competat, vt sit substantia incorporea ex nihilo de nouo creata, ad beatitudinem consequendam.

In libr. de quátitate animæ.

Corpus verò absit vt ex semine factũ dicamus, est enim ex purissimo virginis deiparæq́; sanguine formatum, sed diuino flamine eam adumbrante diuino opere dicimus factum.

Luc. 2.

Tamen quemadmodum ex materia & forma in nobis fit per se vnum, & forma est notio perennis, eius cuius est forma, ita vt eo viuat

ha-

habeat esse, moueatur, sentiat, tandemque in- Libro 3.
telligat. Ita etiam & in Christo: si enim secus de anima.
esset, non esset vniuocè homo cum cæteris. Nec posset esse caput hominum. Quod tamen erroneum atq; impium est.

Tamen Christi constitutio in hoc diuersa erat ab hominum constitutione, ex materia & forma constantium, quia materia & forma in nobis constituunt propriam personam, in ipso autem diuino supposito non constituebant propriam personam, sed vt loquuntur in scholis, natura humana personabatur in alieno supposito, in ipso scilicet diuino supposito.

Non sine caussa quidam vocarunt hanc vnionem, vt dictum est alio, & nunc clarius repetam, insitionem. Quod potest esse altero istorum duorum modorum, nam vno modo vniuntur aliqua per insitionem, nec constituunt nouam naturam: quemadmodum inseritur ramus stipiti, non enim constituitur noua natura, nisi continuatione preexistentiũ, sicut econtrario quando diuiditur continuũ in plura eiusdẽ rationis, non est ibi noua generatio, sed pexistentis diuisio, & talis insitionis mod' est vnio dissimilis incarnationi, quia ibi est cõtinuatio, & non tantũ contactus. Hoc aũt rationabiliter excluso, quia illud ꝙ potest natura creata respectu similis secundũ speciẽ, hoc potest natura diuina ꝓpter suam perfectionẽ illimitatã, respectu naturę creatæ & dissimilis.

Reliquum itaque totum est simile. Non enim diuina & humana natura constituunt vnã naturam: vniuntur tamen per insitionis modũ. Quam insitioné facit ordo, nõ situs. Ait enim Augustinus: illud quod facit situs in corporalib⁹, hoc facit ordo in spiritualibus. Et hinc quemadmodum mediante contactu: vel situ ramus inseritur arbori: & efficiũtur vnum secundum suppositum: ita mediãte ordine qué habet natura creata ad essentiam diuinam, & ad diuinum suppositum, in quo est omnis ratio suppositi, potest natura creata virtute diuina: diuino supposito insita substantificari in ipsa. Huic assertioni ipsum Dei verbum fauet. Vicit leo de tribu Iuda radix Dauidis, & alibi: Ego sum radix Dauid stella splendida. Constat ergo ex his quòd quemadmodum ex radice & ramo fit vnum per insitionem, ita ex natura diuina, & humana tanquam ramo, fit vnum per insitionem, & ita ex natura diuina tanquam radice vel trunco, & natura Christi humana sumpta de stirpe Dauidis, tanquam ramo insito, factus est vnus Christus per insitionem, ideò vocatur verbum insitum in mansuetudine, quod potest seruare animas, quod insitum est, & seminatum in die redemptionis, ita vt caro assumpta in deitate assumente sustentetur.

In libr. de spiritu & litera.

Apoc.5.

Apoc.22.

1.Iac.1.

Error hæreticorũ.

Ioan.1.

Quod verò Eutyches contrarium senserit, dum ex falso intellectu illórum verborum, verbum caro factum est, voluit intelligere

gere verbi hypoſtaſin mutatam eſſe in carnē, & pro vnione naturarum aſſeuerauit deitatis mutationem, quæ vt alio dictum eſt, bene dicta eſſe non poſſunt, quia quod mutatum eſt, deſijt eſſe, quod iam erat, quod Deo non conuenit quùm immutabilis ſit. Ideò omnes errores circa vnionē ex ipſa aſſumptionis definitione confutantur. Mal. 3. 1. Iac. 1.

Aſſumptio humanæ naturæ eſt ſuſtentatio à diuina natura, ideò orthodoxi vnionem hypoſtaticam eam dixerunt, ex qua reſultat vnica hypoſtaſis, quam cum declarare vellent patres, vſi ſunt ſimilitudine corporis & animæ, vt lucidiſsimè aſſeuerauit Athanaſius. In ſymbolo fidei. Nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Quam rem appoſita quadā ſimilitudine Auguſtinus inſinuauit, ait enim: In libro ſenten. Proſperi. Hoc modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium eccleſiæ duobus conſtare, duobus confici: viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine, ſacramento & re ſacramenti, id eſt corpore Chriſti, ſicut Chriſti perſona conſtat & conficitur ex Deo & homine, cùm ipſe Chriſtus verus ſit Deus, & verus homo. Contra Caluinū & Martyrem. Quia omnis res illarum rerum natura continet in ſe, & veritatem, ex quibus conficitur, & alibi inquit: Libr. 4. de Trinit. Si quæritur, ipſa incarnatio quomodo facta ſit, ipſum verbum Dei dico, carnem factum, id eſt hominē factum. Non tamen in hoc quod factum eſt,

conuersum atq; mutatum, sed carne, vt carnalibus congruenter appareret, indutum. Ita sanè factum, vt ibi nō sit solum verbum Dei, & hominis caro, sed etiā rationalis hominis anima. Atq; hoc totum & Deus dicatur propriè ꝓpter Deū, & homo propter hominē. Quòd si difficile intelligitur, mens fide purgetur, à peccatis abstinendo, & bona operando, difficilia sunt hæc. Et alibi ait: Dei filius cùm sit Deus ab æterno & verus Deus: pro nobis factus est homo verus, & plenus: in eo verus, qa veram habet ille humanam naturā: in eo verò plenus, quia & carnem humanam suscepit & animam rationalem. Et subdit: non aliud fuit illa Dei summi susceptio vel exinanitio, nisi formæ seruilis, hoc est naturæ humanæ susceptio. Vtraque igitur est in Christo forma, quia vtraque vera & plena in Christo substātia, diuina scilicet & humana.

In lib. de fide ad Petrum.

Quùm autem solet dici, factus est Deus homo, vt Augustinus ait: vt homo fieret Deus. Intelligēda est talis & similes eius generis sententię, vt illa, talis est illarū duarum naturarū vnio, vt Deū faceret hominem & hominē faceret Deum, salua tamen manente vtriusq; naturæ proprietate. Quod Hilariùs orthodoxè insinuauit, cùm inquit: Quomodo Dei filius natus ex Maria est, nisi quod verbum caro factum est, scilicet quod quùm filius Dei in forma Dei esset, formam serui accepit, vnum

In sermone de natiuitate.

Libro 10. de Trin.

tamen

tamen eundemq́; non Dei defectione, sed hominis assumptione profitemur, & in forma Dei propter naturam diuinã, & in forma serui ex conceptione spiritus sancti, secundum hominem habitum repertum fuisse.

Hinc & pijssimè ita dicimus, ita cõfitemur, vt recedamus ab hæresi Nestorij, asserentis vnionem factã esse, nec in natura, nec in persona. Nos orthodoxè vt alio diximus, factam fuisse vnionem in æterna verbi persona asserimus, sine verbi mutatione, sed cum sola naturæ humanæ mutatione, & cum nouo modo essendi ipsius Dei, qui est in omnib⁹ rebus per essentiam, præsentiam, & omnipotentiam. In ipsa tamen natura humana sibi vnione hypostatica vnita, fuit per partialem (vt scholastici aiunt) illapsum, seu vnionem, vniendo sibi & ad se rationalem naturam.

Confitemur etiam in Christo duas naturas & tres substantias, scilicet deitatem, animam & corpus, ex quibus duob⁹ anima scilicet & corpore humana natura constat, & ex humanitate & deitate conflata est pſona, quæ dicitur Christus: & ideò execranda est Eutichetis hæresis ponentis in Christo vnã dumtaxat naturam, Hasq́; duas substãtias animã scilicet & corpus, fatemur à verbo assumptas esse, & in hoc flocci facimus hęresim Manichei negãtis carnẽ fuisse in Christo. Et illud ꝙ assumptũ est, dicim⁹, assumptioni nõ pextitisse tẽpore, sed natura solũ & ita dicimus cu Damasc. nõ primò assum-

intellectum, & postea fuisse hominē, vt perperàm quidam fassi sunt. Sed dicimus vtrunque apposité dici, Christus est vnum & vnus. Ita vt quemadmodum habens habitum, non mutatur, sed potius habitum habens, sub habitu occultatur, ita in ista vnione persona diuina non mutabatur, sed magis natura humana quæ quodam modo occultauit personam diuinam, ita vt sit vir, in quo absconditus est Deus. Ita vt persona verbi subsistat in duabus naturis in vna quarum habet primum, & proprium esse adæquatum.

Quantum autem ad propositionis veritatē attinet, quùm dicitur, factus est Deus homo, vt homo fieret Deus. Dicimus verā esse in con creto non autē in abstracto. Nam multæ propositiones in concreto veræ sunt, si autem in abstracto accipiantur, falsæ sunt, quemadmodum ista, Deus genuit Deum, vera propositio, ista autem enunciatio, deitas genuit deitatem falsa, similiter & ista, deitas est humanitas.

Et quoniam secundum fidem orthodoxam fateri tenemur, hominem esse Deum, & Deum esse hominem propter idiomatum cōmunicationem, eò quoniam duæ naturæ vnitæ sunt in vnam personam, & illa quæ in vno supposito vniuntur, necessariò, de se inuicem prædicantur, si modo concreto accipiantur, ideò pro hac veritate insinuanda illa propositio instituto nostro multum fauebit. Quæ-

cun-

cunque vni & eidem ſunt eadem, inter ſe ſunt eadẽ, in cuius propoſitionis virtute debet fundari virtus ſyllogiſmi expoſitorij. Hinc illa quæ prædicantur de vno, & illa etiam prædicantur de ſe inuicem. Si ergo vnus eſt Chriſtus, qui eſt Deus & homo, neceſſario oportet concludere, Deum eſſe hominem, & hominem eſſe Deum. Ita vt ſenſus enunciationis is ſit, factum eſt, vt homo eſſet Deus, & Deus homo. Salua tamen manente vtriuſque naturæ proprietate. Libr. I. priorum.

Cùm autem nonnulli aiunt, ſi vna verbi natura eſt incarnata, hoc ſequitur omnibꝰ modis, vt confuſio generetur atq; permixtio, velut imminuta ſuppreſſaq; ſubſtantia. Cauillus aduerſariorum.

Verùm tales ſuperfluis ſermonibus immorantur: non enim minuitur vt exiſtimant, neque ſupprimitur: ſufficit autem ad ſignificantiam facti hominis fateri quod incarnatus eſt: quã ſi taceremus, haberent alicuius calumniæ colorem. Sed quoniam neceſſario ſubiunctũ eſt, quòd incarnatus eſt, vbi nunc imminutionis modus, atque ſuppreſsionis ſupereſſe iam poterit? Confutatio aduerſariorum.

Hinc etiam falſa eſt & errònea illorũ ſententia, qui credunt poſt reſurrectionem ſanctam carnem Chriſti ſeruatoris omnium noſtrûm in deitatis naturam eſſe conuerſam.

Nam etſi fateamur, quæ ſit conditio corporis glorificati, tamen ſine vlla dubitatione credimus corpus Chriſti glorificatum & exal-

tatum adhuc corpus esse, quamuis sit sine grauitate, est tamē longum, latum, & profundū. Ita vt adhuc immotas retineat specificas corporis proprietates. Habet enim hæc veritas testimonia clara, & ita aperta vt negari nulla ratione valeant. Constituit ipse Christus discrimen inter corpus suum resuscitatum, & naturam penitus spiritualem, vel phantasticū, dum
Luc.vlt. inquit: Palpate & videte quoniam spiritus carnes & ossa non habent, sicut me videtis habere. Et in hoc idem numero corpus de quo A-
Heb.1. Gal.4. postolus inquit. Non enim angelos apprehendit, sed semen Abrahami, ostēdit: debuit enim per omnia assimilari fratribus vt misericors fieret.

In homil. de transfiguratione domini. Erat enim idem numero corpus, etsi quantum ad modum dotium, aliquid vltra esset in Christi corpore resuscitato. Nam in corpore Christi ante ipsius mortē erant dotes per modū qualitatis transeuntis, nā ipsius anima fuit beata ab instanti conceptionis, & ꝙ beatitudo nō redundaret ad corpus, erat ex diuina ordinatione, vt in corpore illo passibili, quū pati voluit, adimpleret mysteriū redemptionis nostræ. Post ipsam verò resurrectionē fuerunt in ipso seruatoris corpore dotes, per modū qualitatis ꝑmanentis. Tamen nō fuit corporis ratio aliqua ratione mutata. Circumferebat enī massam q̄ manibus contractari, ac oculis videri poterat, vt ipse idē ait: Palpate quia ego ipse
Ioan.vlt. sum, ipsisq; cicatrices ostendit, vtque in latus ma-

manum conferrent hortatus eſt.

Et vt hinc principium conſtituamus, dicimus factus eſt igitur homo, non aſſumpſit hominem, vt Neſtorio placet. Et vt crederetur, quia factus eſt homo, manens quod erat videlicet Deus, iuxta naturã, idcirco & eſurire dicitur, & ex itineris labore laſceſſere, perferre etiam ſomnũ, perturbationem atq; triſtitiam, cæteraſq; humanas abſq; culpis paſsiões, itemque vt ſatisfaceret videntibus eũ: quia cùm homo ſit, etiã Deus verus permanet. Operabatur diuina miracula, increpans mare, ſuſcitãs mortuos, & cætera miracula perficiens. Suſtinuit aũt crucem carne ſua nõ natura deitatis excipiens, vt primogenitus ex mortuis fieret, & iter humanæ naturæ faceret ad immortalitatis exceſſum.

Poſt reſurrectionẽ verò erat corpus ipſum quod paſſum erat, veruntamen iam nõ habens in ſe infirmitates humanas: nõ enim corpus illud inediæ, laboris, laſsitudinis, vel ſimilis alicuius rei adſerimus, ſed iã incorruptibile confitemur, nec hoc ſolũ, ſed & viuificum: vita enim corpus eſt. i. vnigeniti filij Dei, glorificatũ eſt claritate Deo dignißima, & intelligitur Dei corpus. Idcirco ſi quis illud diuinũ dicat, quemadmodũ & hominis humanũ à decẽtiſſima ratione nõ deuiat. Ideò Apoſtol⁹ vt puto dicit: Etſi cognouim⁹ ſecundũ carnẽ Chriſtũ, ſed nunc iam non cernimus, Dei enim vt dixi propriũ corpus exiſtens, omnia humana tranſcen- 1. Cor. 7.

ſcen-

ſcendit. Tamen conuerſionem in deitatis naturam corpus è terra ſubſtinere nõ potuit: hoc enim impoſsibile eſt: alioqui deitati derogamus tanquam factæ, & velut adſumenti aliquid in ſe, quod ei iuxta naturam proprium non ſit.

Demũ hinc æqualis probatur ineptię dictũ, corpus Chriſti conuerſum eſſe in deitatis naturam: & illud, quod verbũ ſit in carnis ſubſtantiam commutatum: quod vt vaniſsimum aboletur, quùm Deus vbique ſit & corpus minimè, vt euangelica teſtatur hiſtoria, ſurrexit
Mar.vlt. non eſt hic.

Hoc etiam impoſsibile demonſtratur: qa incouertibile & incommutabile comprobatur. Nam in myſterio vnionis ſunt quædam voces Deo digniſsimæ: Iam verò aliæ humanitati congruentes: aliæ autem medium quendam ordinem retinentes, declarantq; ipſum
Ioan.14. Deum & hominem. Cùm enim dicit Philippo. Tantúmne tempus vobiſcum ſum, & tu me non noſti? Philippe qui videt me, vidit & patrem meum. Non credis quia ego in patre, & pater in me eſt. Et alibi: Ego & pater vnum
Ioan.10. ſumus: Deo digniſsimas adſeueramus has voces. Cùm autem Iudæorum deteſtatur perfi-
Ioan 8. diam dicens: Si filij Abrahami nati eſsetis, Abrahamo digna faceretis. At nũc cupitis me perimere hominem, qui verum vobis effatus ſum, quod ex Deo audiui. Hæc dixit ſecundũ humanitatem.

Aduer-

Aduertimus veruntamen, vnius Christi tam dignas Deo voces, quàm etiam humanitati cógruas esse profitemur. Cùm enim Deus esset, & homo factus est, non id quod erat abijciens, sed potius substantiam carnis & sanguinis dignanter assumens.

Ideò discrimen vocum retinendú est: confundés enim voces & proprietates, necesse est, vt etiam naturas confundant. Ideò vocis diuinæ phrases diligenter considerandæ sunt, atq; inspiciendæ.

Medias autem voces has esse affirmamus, vtputà cú beatus Apostolus scribit: Iesus Christus heri & hodie, ipse est in secula, & iterum: Nam etsi sunt dij multi, & domini multi, siue in cœlo, siue in terra: Sed nobis vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos per ipsum. Et alibi: Optarem enim meipsum à Christo infœliciter alienatú esse pro meis fratribus, meis quod ad carnem attinet cognatis: Qui sunt Israëlitæ, quorum est adoptio, & gloria, & fœdera, & legislatio, & cultus, & promisiones: quorú sunt patres, & ex quibus est Christus, quoad carnem attinet. Qui est super omnia Deus col laudandus in sempiternum etiam. Rom. 9.

Ecce enim Christum Iesum nominans heri & hodie, eundem dixit esse & in secula. & per eum facta omnia, ipsumque qui ex Iudæis est secundum carnem, Deum vocat super omnia, necnon & benedictum dicit in secula.

Si enim voces non diuidimus, habent enim simul,

simul, & quod Deum deceat, & quod eius humanitati conueniat.

Aliud est itaque naturas diuidere, & hoc post vnionem, & iuxta solam honoris æqualitatem dicere hominem Deo coniunctum esse: & aliud est iterum vocum differentiam nosse.

1.Pet.1. Num.9. Zach.12. Rom.1.

Ideò quùm Apostolus Petrus inquit: Christum carnèm passum. Et alibi scriptura inquit aspicient in me quem transfixerunt, seu confixerunt, & alibi qui factus est ei ex semine Dauidis secundum carnem. Quas enunciationes omnes orthodoxi patres dixerunt veras esse iuxta idiomatum communicationem. Ideò Theodoretus optimus hæreticorũ in hac materia Antagonista dicit. Oportet scire quòd vnio facit nomina communia. Nominũ confusio non facit confusionem naturarum. Sed benè vt Nazianzenus clamat. Coniunctio facit errare hæreticos.

Aduersus errata Eutychetis.

Non tamen (vt Cyrillus appositè inquit) quòd diuidant in duos filios vnum Dominũ Iesum Christum, dum dicunt oportere voces adaptari diuinitati quidem eius Deo dignissimas, humanitati quidẽ, quas humanitas protulit.

Ad Successum episcopũ isauriæ diocœsariensem in epistola posteriori.

Fuit enim Apollinaris etiam hic error aduersus quem subdit Cyrillus. Arbitrati sunt impij quod exanime sanctum Christi corpus affirmem, aut quod temperatio & cõfusio, vel permixtio, immutatioq; facta sit Dei verbi in car-

in carne, aut etiam conuersio carnis in naturã deitatis, vt nihil vltra seruetur integrum, nec quod est esse credatur, & subdẽs quæ sit ipsius mens & sententia inquit. Sed nec immutatum Dei verbum in carnem dixerim: nec carnem conuersam in deitatis essentiam. Quia inconuertibile est: atque immutabile Dei verbum. Sed nec vocum differentias prorsus ademerim: Sciens vnum Dominum Iesum diuinitus pariter: & humanitus differentem, sciens quòd simul idem Deus est, & homo. Ideò veteres & præsertim Athanasius hanc rem nulla alia re potuit vt dictum est, commodiùs insinuare, quàm ipsa animæ & corporis copulatione. Mal.3. 1.Iac.1.

Quare idiomatum communicationem non censeo physicam aliquam impreſsionem quæ naturarum sit confusio, sed solùm quandam prædicationem, qua veritas vnionis demonstraretur, nam in diuinis nomina significantia naturarum proprietates nunquã physicè confunduntur: Sed aduersus dogma Nestorij accipiuntur vt Cyrillus testatur, q duos filios euidẽter aſsignat. Nos aũt ecõuerso duarum naturarũ vnionem factam prorsus asserimus, sed tamẽ vnum filium, vnum Deum rectiſsimè cõfitemur: verbum nanq; caro factũ est, & ideo prudenter distinguẽda & diuidenda sunt in salutis nostræ mysterio, insinuando quæ de CHRISTO toto, siue de ipsa Christi persona dicuntur, ab ijs quæ alteri solùm naturæ conueniunt. Et ideò Theologi in scho- In eodem, locò. Ioan.1.

ſcholis optimam dicendi normam adinuenerunt, vt dicant, Chriſtus eſt vbique totus, ſed non totum, ideò damnat hanc phraſin, caro Chriſti eſt vbique. Nam illa corporea & finita caro, nullibi nunc eſt niſi in cœlo, quia corpus Chriſti in quo reſurrexit in vno loco eſt. Quã rem lepidè Auguſtinus ſignificauit, ait enim: donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt dominus: ſed tamen veritas eius vbique diffuſa eſt. & alibi inquit: Vna perſona Deus & homo, per id autem quod Deus eſt, vbique eſt: per id autem quod eſt homo, ait: pauperes ſemper vobiſcum habebitis, me verò non ſemper habebitis. Fauet enim huic veritati illud quod duo viri in veſtibus albis dixerunt. Hic Ieſus qui iſthinc in cœlum receptus eſt, ſic veniet, quo pacto vidiſtis eum in cœlum aſcendentem: & fabulã illam deridemus aſſerentem, nõ Chriſtum fuiſſe receptũ in cœlis, ſed recepiſſe in ſe cœlos. Quùm oppoſitum dicat Petrus. Quem oportet cœlo capi vſq; ad tempora inſtaurationis omniũ, quæ tempora Deus tot ſanctorum ore vatum iam olim fatus eſt. Ideò rectè dixerunt aſſerentes corpus Chriſti in pluribus locis eſſe non poſſe localiter, ſed bene ſacramentaliter.

Super pſal. 54. In epiſtola ad Dardanum. Mat. 26. Acto. 1. Acto. 3.

Et certè mirum eſt, quomodo multorum virorum ingenia cæcutiant, non habentes aliũ modum quo ſtatuant Chriſti corporis & ſanguinis realem & veram præſentiam in ſacramento, niſi diuertant ad vnionem hypoſtaticam.

Lapſus Brentij & Iacobi Andreæ.

ticam. Et non vident ibi esse verum & reale corpus Christi, & verum & realem sanguinem Christi, vi verborum, & vi sacramenti, vt alio diximus. Nec inefficacius erit seruatoris verbũ quàm verbum Eliæ. Si enim inquit Ambrosius tantum valuit sermo Eliæ vt ignem de cœlo descenderet, non valebit tantũ sermo Christi vt ibi sit verum corpus & verus sanguis. De totius mundi operibus legitur ipse dixit, & facta sunt. Sermo Christi qui potuit ex nihilo creare, vt ait Ambrosius, quod non erat, non potest præsens ibi adesse vbi nõ erat. Quid ergo quæris naturæ ordinem, cùm ipse præter ordinem rerum ex sancta virgine natus sit, & hoc quod conficimus corpus ex virgine est.

Lib. 4. de sacramen tis cap. 4.

Super psalmum cœli enarrant.

Nec ista quæ dicta sunt corporibus gloriosis sanctorum, quicquam detrahunt, sed fatemur ipsa soluta hac terrestri materia, quæ semper secum coniunctam habent & annexã priuationem æterna gloria potitura, ita vt habeant dotes illas de quibus Apostolus ait: Seritur cum mortalitate, resurget cum immortalitate: seritur cum probro, resurget cum gloria: seritur cum infirmitate, resurget cum potentia: seritur corpus animale, resurget corpus spirituale. Quæ tamẽ eadem corpora numero erunt, alioquin non resurgeret corpus quod seminatum est. Quæ corpora priorum in vno dumtaxat loco localiter statuimus, ita vt concludamus etiam ipsum Christum etiam glorificatum & exaltatum verum adhuc corpus

1. Cor. 15.

cum suis proprietatibus retinere, ita vt valde probanda sit regula Theodoreti & Nazianzeni asserentium: tollens proprietates tollit naturam.

Hinc contra Nestorium aduertere debemus, quod nomina quæ significant naturarum proprietates nunquam physicè confunduntur, sed in concreto, alterius naturæ proprietatem de toto subiecto prædicari, non autem in abstracto, necesse est vt dictũ est suprà. Ita enim concludit Cyrillus. At verò in verbi natura & humanitatis solam nobis differentiam designat diuersitas naturarum, vnus enim ex vtroque intelligitur Christus. Ergo non per commutationem aut conuersionem hominem factum dicimus Dei verbum, nec prorsus quòd Deus esse desierit, sed quòd carnem accipiens ex muliere, & ei ex vtero adunatus, exijt homo, idem simul & Deus.

De incarnatione verbi capite 24.

Hinc regula illa celebris Damasceni semper retinenda est. Habere etiam consentaneè duabus naturis duplicia duarum naturarum naturalia: duas voluntates naturales, diuinam & humanam: operationes duas naturales, diuinam & humanam: & duas liberas voluntates naturales, diuinam & humanam, & ideo tollens proprietates tollit naturam.

De fide orthodoxa lib. 3. cap. 13.

Non tamen duos facimus Christos, sed vnum credimus & confitemur Dominum nostrum Iesum CHRISTVM, vt apposite Cy-

Cyrillus aduertit, id eſt humana forma conſpectum, ſiue hominem factum, iuxta nos Deum verbum, quoniam modò & paſsionem ipſi, paſsibilem deputemus, & impaſsibilem ſeruemus vt Deum? paſſum enim ipſum confiteris, quatenus ei carnis paſsiones attribuis, licet impaſsibilem ſerues vt Deum. De incarnatione verbi capite 26.

Quæ vt facilius intelligi poſsint, dicam apertius. Natus eſt enim eò quòd homo, noſtri ſimilis intelligitur. Vocat ad Natiuitatem omnia, eò quòd natura ſit Deus. Non poteſt non eſſe homo, qui vt puer proficiebat & confortabatur, & implebatur ſapientia. Nec poteſt non eſſe Deus, de cuius plenitudine omnes nos accepimus, & per quem gratia & veritas facta ſunt. Mat. 2. Luc. 2. Luc. 3. Ioan. 1.

Quomodo proficit puer? & ſapientia impletur & gratia, certè propter aliud, & aliud. Cùm enim ſit idem ipſe homo ſimul & Deus, propter vnitatem quidem propria ducit humana. Eſt autem perfectus & ſapientiæ & gratiæ dator, vt Deus.

Appellatur autem in ſacris literis & primogenitus & vnigenitus inquit Cyrillus. Sed ſi vim ipſam ſcrutari volueritdictionum, primogenitus eſt, qui eſt inter fratres plurimos primogenitus. Vnigenitus verò, vt vnigenitus, non iam primogenitus, nec inter plurimos fratres & ipſe eſt, & hoc & illud, & quomodo? Eſt ergo ſecundum aliud, & De eadē re capite eodem.

aliud. Primogenitus enim inter plurimos fratres propter humanitatem, vnigenitus porrò idem, vt ſolus ex patre natus & Deo. Sanctificatus fuiſſe dicitur per ſpiritum, cùm ipſe ſoleat accedentes ſanctificare.

Mat. 3. Baptizatus eſt ſecundum carnem, qui in ſpiritu ſancto baptizat, quomodo ergo idem & ſanctificat, & ſanctificatur, baptizat, & baptizatur, ſecundum aliud & aliud. Sanctificatur enim humanè, ſic etiam & baptizatur, ſanctificat autem diuinè, & baptizat in ſpiritu ſancto, qui etiam & mortuos ſuſcitat. Patitur enim & non patitur, ſecundum aliud & aliud. Patitur autem humanè, impaſsibilis autem manet vt Deus. Quæ omnia & homini & Deo accidiſſe dicuntur. Eò quoniam facta ſunt in vna tantum perſona, quæ Dei & hominis eſt perſona, ſuppoſitum, & hypoſtaſis. Salua tamen manente vtriuſq; naturæ proprietate.

Ioan. 4. Explanabo autem quantum potero clarius vim ſententiarum, ſacrarum literarum.
Mat. 4. Eſurijt Chriſtus, itinere fatigatus eſt. Dormi-
Mar. 6. uit, ingreſſus ire in nauiculam, pulſatus eſt à
Mat. 26. Mar. 14. miniſtris verberibus, à Pilato flagellatus eſt,
Luc. 24. ſputamina militum excepit, qui lancea latus pungentes, acetum mixtum felle ori eius ob-
Ioan. 16. tulerunt: guſtauit autem & mortem cruce paſſus, & alia conuicia Iudæorum. Hæc omnia homini quidem contigiſſe clarum eſt, referri tamen in veri filij Dei perſonā propter vnionem naturarum, ita vt affirmemus propter familia-

miliaritatem carnis eum quidem perpessum fuisse, seruasse verò naturæ suæ impaßibilitatem, eò quòd non erat homo solum, sed idem etiam Deus natura erat. Et quemadmodum erat proprium corpus ipsius, ita etiam naturales corporis paßiones, patiebatur eas scilicet, quæ vt alio dictum est, nec lumini gratiæ, nec gloriæ detrahunt. Nec solùm relationem illam hæreticorum vanam dicimus, imò & futilem. Ita vt dicamus. Viuifica enim eius paßione nos sanati sumus, & infirmatus est, propter peccata nostra ipse, impaßibilem verò eũ esse natura cognoscimus. Est enim Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus: qui simul & Deus est, & homo.

Sunt quidem certæ humanitatis eius paßiones, porrò Dei proprium est vt impaßibilis sit, & esse intelligatur.

Et hæc si seruabimus, fidei retinebimus pietatem, eundemq; crucifixum Christi corpus, verè & realiter cum Philippo Apostolo non per occultationem, non enim spectrum erat, neque laruatam personam habebat: sed idem numero corpus, quod mortuum erat, resurrexit verè, vereque ad cœlos ascendit. Ita vt quemadmodum in Adamo aduersarius noster victoriam obtinuit, ita in Christo victus cecidit.

Hinc diuinus Psaltes Christo propter nos, & pro nobis ad patrem ac Deum in cœlos vt habitatoribus terræ peruiũ exhibeat cœlum,

Psal.96. & 98. ascendenti triumphales odas accini suasit dicens: Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ: psallite Deo nostro psallite, psallite regi nostro psallite, intelligenter. Regnauit Deus super omnes gentes.

Col.2. Hinc Apostolus ait, qui descendit, idem ipse est, qui & supra cœlos ascendit, vt adimpleret omnia.

Adora Christum tanquam vnum, nec in duos illum post ascensionem ad superos diuidas, aut confundas naturas, sed salua semper vtriusque naturæ proprietate, vt Calcedonensis synodus declarauit, CHRISTVM Deum & hominem prædicabimus. Nam in omni opere vt Damascenus aduertit, quælibet natura suas habet affectiones, & operationes.

Sunt tamē quædam aliæ voces quæ vtramque respiciunt naturam, & vtrique conueniunt vt quùm dicimus, Christus est rex, sacerdos, & seruator. Ideò optimè dixit Gregorius, ignorantiam distinctionum hæreticos decipere.

Ideò semper illud vnum asseuerare, confiteri, & affirmare debemus. Si quis verbum quod à Deo patre est, Deum ac Dominum Christi esse dicit, & non magis illum eundem

Ioan 1. confitetur Deum simul & hominē, sicut verbum caro factum est secundum scripturas, vt orthodoxè synodus Ephesina definiuit, anathema sit. Ideò enim nominatus est Christus quia

quia nobiscum humanitus vnctus est, vt Psaltes inquit. Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis; quam sanctissimam vnctionem vtique seruat & in cœlis. Quod enim semel assumpsit nunquam dimisit, ita vt etiam eandem corporis rationem seruet & habeat. Quam semper habuit, alioquin non esset idem numero corpus, vt suprà dictum est. Psal.101.

Et quemadmodũ cùm adhuc ageret in terris, nobiscumq; secundum carnem operaretur, idem corpus ante resurrectionem nunquam simul in pluribus locis erat, quia hoc corporis veri rationem tollit, ita nec post assumptionem in cœlis, concedendum erit oppositum, tolleretur enim ratio eiusdem corporis.

Hoc itaque piè concedere fatemur viuificam Christi carnem, & immaculatum ipsius corpus in cœlo localiter contineri. Ipsius verò diuinitatem vbiq; diffusam esse, atque vbique, & illius impietatis magnitudinem euitabimus, quæ Christi corpus vbiq; esse significat, & veram pietatem sectabimur in vnico Dei verbo, vnaq; Christi persona, verbo, & humanitate conflata.

Et quemadmodum in initio diximus, ita & nunc etiam confitemur: Hæc est, inquit Seruator, vita æterna vt te solùm cognoscant verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Credimus igitur secũdum scripturas in Ioan.17.

Deum, ac in Dominum nostrum Iesum Christum, ita enim Dominus ait. Creditis in Deú & in me credite.
Ioan.14.

Primum itaq; in considerando Christi persona, illa diuinitatis & humanitatis nomina tanquam fundamenta ponenda sunt, & in illis tanquam in lapide lydio examinanda sunt illa, quæ diuinitati sunt propria, & illa quæ humanitati conueniunt: Hæc enim si fecerimus, ea qua decet pietate, quæ Dei sunt, Deo & quę hominibus conueniunt illi ea reddemus vt propria, ne confundamus incarnationis mysterium, salua semper eiusdẽ naturæ proprietate, definiemus cuncta, vt communibus quibusdam vtriusque naturæ significationibus, ac significantibus nominibus præpositis, neq; scindantur quæ diuinitatis sunt, ac proprietatis, neque quæ naturarum sunt inducta, propter filiationis diuinæ rationẽ periclitentur, ad humanam naturam trahendo.

Nec aliundè rationis nostræ institutum sumendum arbitror, quàm ab Apostoli perceptione, qui quùm de incarnatione diuina sermonem habuisset, essetq; de passione illaturus, primùm Christi nomen ponit, tanquam commune, tumq; sermonem vtrique naturæ competentem adducit. Inquit enim, is sit affectus in vobis, qui & in Christo Iesu fuit, qui cùm in forma Dei foret, non rapinæ habuit suam cum Deo æqualitatem, sed seipsum eo vsque ad nihilum redegit, vt sumpta seruili for-
Phil.2.

forma, factus sit hominum similis, & figura repertus vt homo.

Et quoniam mortis facturus erat mentionem, ne Deum, verbum, pasſibilem quiſquam ex eo ſuſpicetur, Chriſti nomē ponit, tanquā appellationem vtriuſque, cùm impaſsibilis naturæ, tùm paſsibilis ſubſtantiæ, & naturæ in vnica perſona significationem habentis, vt Chriſtus & impaſsibilis & paſsibilis citra periculum intelligatur, impaſsibilis propter diuinitatem, paſsibilis propter corporis naturā. Si enim iſti moderni iſta libraſſent in trutina & ad lapidem lydium contuliſſent, non faſsi fuiſſent corpus Chriſti vbiq; eſſe. Quod quantum ad phyſicam locationem attinet, in cœlo eſt. Nec voces illæ & enunciationes, Deus factus eſt homo vt homo fieret Deus, noſtro aduerſantur inſtituto, & veritati quam confitemur contrariæ ſunt vlla ratione, niſi velimus cum hæreticis communicare.

Error Brentij.

Nam fatemur enunciationem iſtam, Deus eſt homo, eſſe veram per eſſentiam. Non quia deitas ſit humanitas, quùm iſta ſit erronea & hæretica. Sed quia ſuppoſitum diuinæ naturæ eſſentialiter eſt ſuppoſitum naturæ humanæ. Nam Deus (vt terminis ſcholæ vtar) ſupponit pro perſona filij Dei, & hæc eadem eſt perſona naturæ aſſumptæ, per illam naturam informata. Ita vt quùm dicatur, Deus eſt homo, iſta nota, Deus, ſupponit perſonam filij Dei, & ſignificat deitatem.

Propositio itaq; vera est ratione suppositi, quia suppositū est subsistens in humana natura, hoc nomen homo per se prædicatur de ipso, nec tamen loquimur ratione significati.

Hinc secundum quem est natura, est prædicatio per se, quemadmodū ista. Symplicianus est homo, vnde non sequitur, vt prædicari posit de omnibus in quib⁹ est forma significata hoc nomine Deus, quia nō est per se ex parte formæ significatæ, & hoc singulare est tantum in hac re, quoniam nullibi inuenitur vna persona quæ subsistat in duabus naturis, nisi sola Christi persona, quæ duarum naturarum persona est.

Hinc optimè dixerunt antiqui doctores. Veritas in sermone fidei quærenda est, non proprietas, vt in ista enunciatione, talis inquit Augustinus, fuit illa vnio vt faceret Deum hominem & hominem Deum. In qua enunciatione ea seruanda est regula, vt ab illa generalitate communicationis idiomatum excipiantur nomina, quæ vnionem ipsam important. Vnio enim inter vnibilia designat diuersitatem ac distinctionem, eamque præsupponi oportet ad idiomatum communicationē, salua tamen & integra manente vtriusq; naturæ proprietate, ad tollendam confusionem, & inuersionem seu exæquationem. Ita vt quùm dicitur, Deus est homo, talis enunciationis is est intellectus, id est filius Dei, qui est Deus, est humanæ naturæ vnitus, idque quod alio dixi-

In sermone de natiuitate domini.

diximus, factus est Deus homo, id est, factum est, vt Deus carni vniretur in vnitatem personæ, vniens sibi naturam nostram. Et ideò vocatur caro de carne nostra & os de ossibus nostris.

Ex his autem aliud librandum est, quod ad Christi animam attinet. Et dicimus quemadmodum anima nostra vna est in essentia & in potentijs trina, memoria, intellectu, & voluntate, ita & anima Christi. Et quemadmodum anima nostra & intellectum agentem habet & possibilem. Prior sicut lumen, posterior ille est in quo conseruantur noemata rerum, quas vocamus species intelligibiles. Ita & in Christo est intellectus agens & intellectus passibilis, debuit enim per omnia fratribus assimilari, his imperfectionibus tantum exceptis, quæ lumini gratiæ & gloriæ detrahunt.

Quùm ergo quidam dicant animam Christi omnia cognouisse, omniumque rerum scientiam habuisse, multa consideranda sunt, & primum est.

Vnus est modus sciendi Christi secundum naturam diuinam, & ita in eo idem est scientia quòd essentia, & fuit in filio ab æterno.

Secundus est in Christo secundum vnionis gratiam, quam sciẽtiam nulla creatura habuit, & iste modus distinguitur ab alio modo sciendi.

Ter-

Tertius est secundum gratiam qua comprehensor erat, quæ est scientia visionis in qua sancti angeli, & animæ beatæ communicant.

Quartus est secundum naturam integram animæ, quam habuit Adamus in statu innocentiæ, & hanc scientiam perfectiori & cumulatiori modo habuit Christus, quàm alij homines puri.

Quintus est secũdum naturam assumptam cum pœnalitatibus. Estq; etiam data Christo quædam gratia ad cognoscendum res secundũ numerum (& vt solet in scholis dici) & apposité, quantum ad vsum iuxta temporis progressum, quæ fuit à principio data animę Christi secundum intellectum. Didicit enim ex his quæ passus est, tamen cognitionem in tempore habuit.

Heb. 4.

Quantum ad primum modum attinet, eodem modo se habuit ante incarnationem & postea.

Quantum verò ad secundum spectat, habuit cognitionem omnium pertinentium ad incarnationis & humanæ redemptionis mysterium, quam scientiã vt aliò dictum est, non habuerunt angeli, sed tempore adepti sunt. Ideò & in Seruatoris ascẽsione quærunt: Quis est iste qui venit de Edom? & si aliqui habuerunt, hoc fuit ex dono superaddito, & non ex gloria.

Eph. 2.

Isa. 63.

Secundum tertium habuit cognitionem omnium pertinentium ad ipsius gloriam atque

que electorum.

Quantum ad quartum, habuit longè cumulatiorem sciẽtiam quàm habuit Adamus, qui habuit sui creatoris cognitionem, omniumque superiorum, sui & aliorum, vt alio dictum est, habuit vberiorem scientiam quàm omnes pij simul.

Secundum quintum modum didicit, vt dictum est diuersas pœnalitates secundum experientiam in parte affectiua. Quas res etiam cognouit secundum alium modum, secundũ scilicet vnionis gratiam, quia secundum hanc gratiam eas præsciuit, est enim cognitio in sensu duplex, per experientiam. Vna dum res est in sensu per similitudinem, vt color in oculo. Alia cùm res est in sensu per suam essentiam siue formam, vt dolor in quocunq; sensu.

Hinc duplex cognitio fuit in Christo quãtum ad experientiam attinet. Vna quãtum ad naturam pœnalem: Alia quantum ad gratiam specialem cognoscendi res secundum numerum per successum temporis, & ex hac solutione cõciliantur si quæ sunt auctoritates, quę oppositum sentiunt.

Sed maxima quæstio est, an Christus, hoc est, dicam apertius, an ipsius anima quæ corporis erat endelchia seu forma, cognoscat vniuersa in verbo quæ ipsum verbum cognoscit, ita vt dicamus verbum infinita cognoscit, an anima etiam vt anima, infinita cognoscat.

Qui-

Primus error circa quæsitum.

Quidam dixerunt olim, & hodie quamplurimi eiusdem sunt sententiæ. Animam Christi cognoscere nedum omnia verum etiam infinita in verbo. Quia per verbum cognoscit alia, nõ participando sapientiam sicut alię animæ: Sed sapientiam ipsam posidendo: & eorum verba ea sunt. Plenã & perfectam totam Dei sapientiam in anima Christi fuisse credimus, ipsamq; animam eadem sapientia plenè atquè perfectè sapientem, non ex ipsa participando, sed totam singulariter posidendo, quã singulariter possedit & ineffabiliter comprehendit, sine dubitatione credo, quòd aut alia sapientia in Christo non fuit, aut si fuit æqualis illi non fuit.

Duo enim hæc sentẽtia præ se fert, primùm in anima Christi aliam sapientiam non fuisse, nisi eam qua nouit omnia, quia sapiẽtia sua non fuit alia à sapientia qua Deus est sapiens, & sciens.

Confutatio.

Verum hoc erroneum est, tollit enim ista assertio, scientiam acquisitam quam necessariò fateri tenemur fuisse in Christo. Nam nihil eorũ quæ Deus plantauit in natura nostra ad perfectionem spectans, defuit animę Christi. Sed quia Deus in nostra natura nõ tantum plantauit intellectum posibilem, sed etiam agentem, ideò operæpretiũ est in anima Christi, tum posibilem tum etiam agentem intellectum ponere. Nam si in alijs Deus & natura nihil frustra agunt, multò minus hoc cõceden-

Libr. 1. de cælo & mundo.

dendũ erit in anima Christi. Et frustrà illud dicitur, quod non habet propriam operationem, nam omnis res est propter suam operationem. Propria autem intellectus agentis operatio est, facere noemata actu intelligibilia, per abstractionem à phantasmatibus. Est enim inquit Aristoteles, intellectus agens omnia facere.

Lib. 3. eiusdem.

Lib. 3. de anima.

Quemadmodum ergo necesse est fateri, fuisse in Christo aliquas species intelligibiles receptas in intellectu possibili, ita operæpretium est fuisse intellectum agentem tales species intelligibiles depurantem atq; illustrantem. Et eò tendit illud quod Apostolus ait: Quamuis filius Dei esset, didicit tamen ex ijs quæ passus est obedientiam. Et talis scientia ponitur in Christo, in quo fuerunt omnia. Inquit Cyrillus, quæ ad naturæ humanæ integritatem pertinent, in qua ponitur lumen intellectus agentis, quod est connaturale animæ humanæ.

Heb. 4.

In tractatione de incarnatione capite 26.

Alij autem dixerunt, in Christo esse duplicem modum intelligendi & cognoscendi. Vnus per vnionis gratiam, & ita cognoscit in verbo, vniuersa, quæ & verbum cognoscit, & intelligit omnia quæ etiam verbum ipsum intelligit.

Secundus error circa quæsitum.

Sed hoc nepharium est, nam etsi anima CHRISTI verbo Dei vnita sit, manet tamé intra terminos suæ naturæ. Quemadmodum & ipsa humanitas, & ideò habitus quo cogno-

Refutatio 2. erroris.

gnoſcit, & lumen quo intelligit finita ſunt formaliter, vt optimè in ſchola loquuntur, ideò non poteſt in infinita

Alia ſolutio. Quidam autem dixerunt in Deo duplicem eſſe ſcientiam, & hac via habuerunt iuxta hanc ſectionem de ſcientia animæ Chriſti ſermonem, dicentes, ſcientiam in anima Chriſti geminatam eſſe, videlicet ſcientia viſionis, & ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Anima em̃ Chriſti notitia ſimplicis viſionis, cognoſcit omnia quæ & verbum, non autem ſimplicis intelligentiæ.

Lapſus Brentij & Iacobi Andreæ. Et ideò bene aſſerendum cenſeo, animam Chriſti non cognoſcere omnia quæ verbum ſcit, nec actu, nec habitu, vtpotè poſsibilium & infinitorum: quia non eſt tantæ efficaciæ vt verbum, ſed tantum omnium præſentium, præteritorum, & futurorum tam bonorum quàm malorum. Ita vt habeat ſcientiam vniuerſorum quę ſcit Deus notitia approbationis, & etiam ſcientia viſionis: non tamen vt dictũ eſt ſimplicis intelligentiæ. Quia potentia intellectus creati infinitorum capax non eſt.

Et ſi concederetur etiam Chriſti animam hoc poſſe, ſequitur adhuc aliud quod impediret, quia etſi eſſet capax in potentia paſsiua, ad perfectam tamen cognitionẽ exigitur conuerſio, ſuper illa quę recepta ſunt, & iudicium de eiſdem, quod intellectus creatus reſpectũ infinitorum nec ſimul, nec ſucceſsiuè facere poteſt.

Am-

Amplius quoniam hoc videtur esse, comprehendere, & finire in se tantum posse, seu Dei omnipotentiam.

Hinc quædam regulæ eligendæ sunt, quibus posint mentes hominum nostri temporis quasi soporatæ excitari, & prima ea est. Dicimus Christum secundum deitatem esse æternum filium Dei, esse infinitum, vbique esse, æternum esse, creatorem rerum omnium visibilium & inuisibilium, mortis & pasionis, dolorisq; expertem, & inuisibilē, & ea omnia quæ propriè & verè tribuuntur propriæ naturæ filij Dei vnitæ carni.

Secunda regula ea est, propria naturæ humanæ sunt quòd initium habuit ex Maria virgine, quòd sit de spiritu sancto concepta, & passa, tandemque quòd resurrexerit, & ex his regulis habemus naturas saluas manere, atque inconfusas. Nam si confunderentur in vnione hypostatica attributum vnius naturæ attribueretur alteri. Luc. 2.

Et hinc verbum cùm sit æternum, infinitum, infinita comprehendit; anima verò quũ intra limites naturæ creatæ & finitæ contineatur, infinita comprehendere non poteſt.

Hinc vt clarius dicam, cùm in Christo sit vna persona, & duæ naturæ, considerandum est an illa quæ sibi attribuuntur, pertineant ad rationem personæ, vel ad rationem naturæ, & si spectent ad rationem personæ, necesse est vt illud in Christo sit vnum, quemadmodum

& ipsa hypostásis seu persona vna est. Si verò ad naturam pertinent, aut ergo ad alterã tantum, aut ad vtranque. Si ad alterum tantum, sic rursus est tantum vnum, quemadmodum in Christo, est solum vna immensitas, vnaque anima. Si autem ad vtranque, ita quia in Christo naturæ sunt integræ, ac distinctæ, & duæ oportet talia in Christo geminari, vt apposité alio diximus ex Damasceno, vt duos intellectus, duasque voluntates. Et quoniam scientia pertinet ad naturam diuinam, & ad naturam humanam, prior scientia quæ ad diuinam naturam pertinet, simpliciter est immensa, altera verò quæ ad humanam attinet finita est, quùm natura humana in Christo non sit extra limites nostros, et si verbo Dei vnita sit in vnitatem personæ.

Immensitas enim virtutis in extensione, fundatur in aliqua infinitate virtutis, in intensione, seu vigore. Vnde mentes cœlites quas philosophi intelligentias appellant, & nos Christiani vocamus angelos, qui habent virtutis immensitatem in duratione, non habent eam per seipsas solùm. Quoniam virtus propria finita est, in vigore, sed habent eam per infinitum primum, quod est immensum in vigore, ideò apposité quidam dixit: Virtutes omnes quibus non est finis, sunt pendentes per infinitum primum, quod est virtus virtutum. Ille itaque intellectus cuius virtus ex se non est

Auctor in libro de causis.

eſt immenſa in vigore, non poteſt ſe extendere ad videndum actu ſimul infinita. Talis autem eſt virtus animæ Chriſti, nihilominus videt actu ſimul omnia in verbo præterita, præſentia, & futura, de futuris inquam vnũ quorum alteri ſuccedit ſine fine: & hoc vt inſinuetur, longè excellentiorem eſſe ſcientiam animæ CHRISTI ſcientia angelorum & beatorum.

Poteſt etiam hoc apertè demonſtrari, nam anima illa eſt creatura, & nulla creatura poteſt ſuo creatori æquari, non habet ergo anima illa vt forma corporis Chriſti parem cum verbo ſcientiam, nec immenſam, quemadmodum Deus in omni bono maiorem habet ſufficientiam quàm creatura. Hinc ex parte hominis aſſumpti in vnionem diuinæ naturæ dicitur. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: Et Caſsiodorus ait: Veritas humanæ conditionis inſinuatur, quia aſſumptus homo diuinæ ſubſtantiæ non in ſcientia, nec in alio, Deo æquari poteſt. Quod etiam & Apoſtolus appoſitè ſignificauit, cùm inquit: Sic Dei negotia nemo ſcit, niſi ſpiritus Dei, qui ſolus ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei.

Pſal. 113.

Super expoſitioně dicti verſiculi.

1. Cor. 2.

Hinc optimè definiétes hanc rem dicimus, animam Chriſti non æquari, quamuis omnia perſpicuè in verbo intueatur, ſuo creatori in ſcientia, etſi omnia ſciat quæ ipſe: nec eius ſapientia eſt æqualis ſapientiæ DEI, quia

Q 2 mul-

illa multo est dignior, digniusq́; & perfectius omnia capit, quàm illius animæ sapientia. Et hinc omnes antiqui & saniores scholastici dicunt nulla ratione ànimæ Christi communicatam fuisse omnipotentiam. Et mirũ est quomodo nostris temporibus non vereantur asserere corpus Christi & carnem Christi esse vbique, eoq́ue prolapsi sunt vt deitatem absorbuisse humanitatem dicant, concedentes animæ Christi omnipotentiam. Nescientes omnipotentiam esse potestatem quãdam infinitam, & efficaciam illimitatam, cui etiam conuenit virtus creandi, quæ nulli creaturæ communicari potest. Potentia enim infinita & immensa non potest alicui rei creatæ communicari, & ideò omnipotentia nec est communicata, nec cõmunicari potuit animę Christi. Nam creatura eo ipso quoniam creatura est, habet impotentiam subsistendi in se, quoniam necessariò habet dependentiam ad suam causam. Ideò quemadmodum animæ Christi non potuit communicari essentia infinita, ita nec sibi, nec alicui creaturæ omnipotentia. Tamen omnis potentia quæ aliqua ratione communicari potest alicui creaturæ communicatam fuisse censemus animæ Christi, idq́ue nobiliori digniorîq; modo ex ipsa hypostatica vnione.

Lapsus Brentij & Iacobi Andreæ.

Et vt ista clarius intelligãtur, dicam apertius. Data est Christo omnipotentia, quãtum ad personam diuinam, sed quantum ad naturam

turam humanam in ipsa conceptione: non quod natura humana (vt moderni quidam volunt) & malè, aut eius aliqua pars omnipotẽtia fuisset informata, ita vt omnipotens dici valeat, sed secundum modum quo naturæ in Christo communicant, non autem secundum rem, vt pijssimè synodus Calcedonensis definiuit, quùm inquit salua tamẽ vtriusq; naturæ proprietate. Et ideò optimè dicimus, Christo iam ex mortuis ad vitam resuscitato. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Non quod tunc data fuerit, sed quoniam tunc innotuit, iuxta sermonem vsitatum, tunc enim res fieri dicitur, dum innotescit. Mat. vlti. Lapsus Brentij hinc.

Habuit etiam Christus omnium scientiam, non solùm theoriticã, sed etiam & practicam, non quia res ipsas faceret, sed quia sciuit modum idq; in modo particulari quo à Deo factæ sint.

Aptissima siquidem sententia Angelicus doctor hoc negotium elucidauit, quùm inquit, scientia practica non est caussa rei sufficienter, nisi ei adsit potẽtia actiua. Hinc Christus habuit scientiam omnium practicam, sed non practicè, quia non ordinauit ad opus. Lib. 3. sententiarum distin. 14.

Est etiam animaduertenda illa regula, quę & vtilissima est, & summoperè necessaria. Quod illud quod à superiori natura recipitur in inferiori, est ibi secundum modum inferiorem. Quia vnumquodque quod recipitur est ibi secundum modum recipientis & non re-

cepti. Cumque anima Christi multò & ineffabiliter sit longè inferioris naturæ quàm diuina natura, similitudines rerum receptæ in natura humana, sunt longè multò gradus inferioris & imperfectionis quàm in mente diuina, idcircò sciétia animę Christi inferior prorsus est quàm diuina scientia: imò diuina nedú perfectior est quantum ad modum sciendi, sed etiam quantum ad numerum rerum quas scit. Anima enim Christi non cognoscit omnia, quæ verbum facere potest, quæ tamen Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiæ: etsi anima Christi vt dictum est suprà, cognoscat omnia præsentia, præterita & futura, quæ Deus cognoscit scientia visionis, non autem scientia simplicis intelligentiæ.

Amplius etiam similitudines rerum inditę animæ Christi non adæquant in agendo virtutem diuinam, vt scilicet possint ea omnia agere, quæ Deus potest, aut etiã eo modo quo Deus. Agit enim Deus virtute infinita, cuius creatura non est capax aliqua ratione. Et ideò quùm omnipotentia dicat principium & causalitatem, quæ nequeunt creaturæ competere, nec omnipotentiam anima Christi habuit, nec omnium scientiam quantum ad sciétiam simplicis intelligentiæ, secus verò de scientia seu notitia visionis.

Quæsitũ. Quùm aũt quidam quærere soleãt an Christi anima habuit omnipotẽtiam, quantum attinet ad creaturarum immutationem.

Quæ-

Quæsitum est anceps, & ideò distinctione eget, dicimus ergo per geminatã distinctionẽ. Dilutio.

Vna est ex parte creaturarum, quantum ad immutationem attinet, quæ immutatio triplex est, vna naruralis, quæ fit ab agente proprio, iuxta naturæ cursum. Alia miraculosa, quæ fit ab agente supra naturam. Tertia secundum quod omnis creatura vertibilis est in nihilum.

Altera distinctio est ex parte animæ ipsius Christi, quæ potest considerari secundum naturam propriam, & secundum virtutem propriam, atq; secundum virtutem naturalem seu gratuitam, siue glorificatam.

Alio modo, vt instrumentum animatum verbo Dei in vnitatem suppositi cõiunctum.

Si sermo sit de anima Christi primo modo, habuit potentias ad effectus animæ conuenientes, vt sunt regere corpus, & disponere actus humanos: & item ad illuminandum per gratiæ & sapientiæ ipsius plenitudinem omnes creaturas rationis participes, si obicem ex sua malitia non addant.

Altero autem modo anima Christi habet virtutem vt instrumentũ diuinitati coniunctũ in vnitatẽ personæ, ad vniuersas miraculosas immutationes ordinabiles ad incarnationis finem, qui est instaurare omnia, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris. Sed si dicamus animam Christi, quantum ad vires superiores attinet, excellentissimè ipsa fruebatur Deo, & beata Ephes.1. Col.1.

erat ratione obiecti increati, ideò potuit proprium corpus à naturæ dispositione immutare, ac in illud deriuare dotes corporis gloriosi, ea tamen ratione seruata, quatenus animá Christi verbo vnita erat, ipsoque fruebatur perfecta, etsi ipsius beatitudo (vt alio dictum est) ad corpus non redundarit, hoc enim ideò factum est, vt in corpore pasibili humanę redemptionis mysterium compleret.

Sed immutationes creaturarum ita vt verti in nihilum valeât, hoc rerum creationi cuius solus Deus est auctor correspondet, ideò quemadmodum solus potest cuncta ex nihilo creare, ita & illa quæ creata sunt in nihilum redigere, & solus illa conseruare, ne in nihilú decidant & conuertantur.

Nec tamen vlla ratione asserendum est, animam Christi verbum comprehēdisse, nam vt Augustinus fatetur, illud quod se comprehendit, finitum sibi est, cùm itaque vt dictum est verbum sit infinitum, anima Christi non comprehendit ipsum.

In lib. 83. quæst.

Caussa erroris Brētij & Assеclarum.

Est enim hoc illud à quo non possunt se expedire homines nostris temporibus. Nam facta est naturarum vnio in persona Christi, ita tamen vt vtriusque naturæ proprietas inconfusa permanserit, ita scilicet, vt increatum permanserit increatum, & creatum permanserit infra limites suæ naturæ, vt pijssimè Damascenus fatetur. Et ideò est imposibile vt aliqua natura creata comprehendat verbum:

Libr 3. de fide orthodoxa.

Dubium.

Apo 5.

&

& quùm ex ipſo Dei verbo legitur. Dignus eſt agnus qui occiſus eſt accipere diuinitatem & ſapientiam: ſubinferunt nonnulli, hoc eſt omnium cognitionem. Eſt tamen enunciatio diſtinguenda in nota illa quùm dicimus, anima Chriſti cognoſcit omnia in verbo.

Nam nota illa omnia, aut accipitur propriè pro omnibus, quæ quocunq; modo ſunt, vel erunt vel fuerunt, vel facta, vel dicta, vel cogitata ab omnibus ſecundum quodcunque tempus, & ita quantum ad notitiam viſionis attinet, anima Chriſti omnia nouit, nam ad Chriſti dignitatem ſpectat, quùm ſit omniũ iudex vt ei omnia nota ſint, vt ſcriptura inquit: & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt. Et ideò Chriſti anima cognoſcit etiam hominum cogitationes. Nam ipſe ſciebat vt euangeliſta ait: quid eſſet in homine, hinc ſolidiores ſcholaſtici dum quærunt an anima Chriſti (vt dictũ eſt ſupra) nouerit omnia in verbo, quæ ſunt in ſola potentia Dei, optimè ſe expediunt, inquiunt enim: impoſsibile eſt animã Chriſti nouiſſe, & noſſe omnia, quæ ſunt in potentia ſola Dei: idque maxima ratione ducti aſſerunt. Quia noſſe omnia in ſola Dei potentia eſt comprehendere omnia, quæ poteſt Deus facere: & ita comprehenderetur diuina eſſentia. Et diuina virtus, quod eſt impoſsibile. Et ratio ea eſt, quia virtus immenſa nequit à re limitata comprehendi, quemadmodum eſt anima Chriſti.

Solutio. Ioan. 5. Ioan. 2.

Omnes eñ res sunt limitatę, solus Deus est im mẽsus. Ideò ex cóprehensione omniũ effectuũ non infertur cóprehensio causæ altioris ordinis, & pręsertim in infinitum, qualis est Deus.

Et hinc eliciunt secundum membrum responsionis, scilicet Christi animam non nouisse omnia, quæ nunquam ad actum reducta sunt. Hoc enim si animæ Christi concesserim⁹, fatebimur ipsam potuisse, vel posse verbum comprehendere.

Tamen non negamus ea omnia animam Christi comprehendisse & comprehendere, quæ sunt in potentia creaturæ. Comprehendit enim anima Christi in verbo cui vnita est, vt instrumentum animatum, omnis creaturæ finitæ & limitatæ essentiam.

Et vt ista facilius intelligantur, dicam clarius. Nam anima Christi scit in verbo (cui ex concomitantia iuncta est, cùm sit notio perennis corporis seu actus) omnia in verbo quæ Deus in seipso scit scientia visionis: non tamẽ omnia quæ Deo nota sunt scientia simplicis intelligentiæ. Quam differentiam ideò sæpius inculcamus: quia hinc pendet cardo totius negotij.

Est tamen silentio non prætereundũ, dum dicimus Christum: non vnum dumtaxat dicimus, sed duo: diuinam personam & humanam naturam. Et ad aliud accedamus, quia ista satis sunt.

Iam ad Hinc quantum ad conditiones corporis atti-

attinet, habuit Christus conditiones pertinentes ad homines, qui viatores dicuntur, & ideò nedum meruit, verùm & mereri potuit. Quã veritatem ne dum patres verum passim & Apostolus & euangelium testantur. Inquit enĩ Ambrosius: Quid & quantum humilitas mereatur hîc ostenditur, his testimonijs euidens fit. Nam Christus per humilitatem & obedientiam passionis meruit clarificationem corporis, nec id solum, sed etiam animæ impassibilitatem. Hoc & Apostolus insinuauit, sese adeò deiecit, vt obediens fuerit vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter Deus summoperè extulit, & nomen ei donauit omnium nominum summũ. Ideò August. inquit: vt Christus resurrectione clarificaretur, prius humiliatus est passione, humilitas claritatis est meritum: claritas humilitatis est præmium. Sed hoc totum factum est in forma serui, in forma enim Dei semper fuit, & erit claritas, & lumen illud æternum.

aliud descendendum est.

Super epistolam ad Phil. cap. 2.

Phil. 2.

In expositione eiusdem loci.

Nec his obest illud quod in synodo Ephesina sub Cyrillo decretum fuit, quùm inquit: Pontificem & Apostolum cõfessionis nostræ factum esse Christum, scriptura dicit: obtulit aũt pro nobis semetipsum in odorẽ bonæ fragantiæ Deo ac patri. Si quis igitur Pontificẽ & Apostolum nostrum, non ipsum ꝙ ex Deo est verbũ, & caro, hominẽ nobis similem factũ, sed tanq̃ alium quendã hominem p̃ter ipsum separatũ ab eo, ex muliere natũ, factum esse

Tacita obiectio.

Eph. 1.

esse dicit: Aut si quis Christum etiá pro seipso oblationem,& non magis pro nobis obtulisse dicit (non enim opus habuit oblatione qui peccatum non nouit) anathema sit.

Dilutio. Quibus dicimus Christum non obtulisse pro se sui ipsius corporis sacrificium, vt deleret peccatum, nam hac ratione solum pro impijs mortuus est, sed obtulisse pro se sacrificium, vt corporis exaltationem, animæq́; impaßibilitatem acciperet: nec non in cordibus fidelium exaltationem, vt alio dictum est.

Rom.5.

Quantùm autem ad animæ statum, habuit comprehensorum conditiones, quantum ad animam attinet in scientia visionis, eò quoniá vnita erat in persona filij Dei.

Ea verò est animæ comprehensoris conditio, vt nulla ratione corpori subdita sit, aut ab illo dependeat, sed vt corpori imperet & dominetur.

In homil. de transfiguratione.

Hinc orthodoxè fassus est Chrysostomus dispensatione diuina factú esse, ne beatitudo redundaret ad corpus vt in corpore paßibili expleret redemptionis nostræ mysteriú. Ideò & post resurrectionem in omnibus ex anima gloria redúdabit ad corpus, quemadmodum in Christo factum est.

Aduersus Monothelitas seu Monophylitas.

Tamen ita ista sunt opera personæ Christi, vt proprium opus quælibet natura distinctè conferat, vt orthodoxè docuit Leo huius nominis primus in disertißima illa epistola, qua docemur hæreses diuertere. Hinc patrum illa cen-

censura aduertenda est. Quæ vt vera est ratione totius personæ, tamen in abstracto attribui nequit, sed solùm in concreto. Ita rectè credimus & dicimus, Deum passum & mortuum quod impius Nestorius detestabatur, vt optimè Cyrillus aduertit, nam nisi Deus pro nobis passus fuisset, non esset nobis saluifica ipsius pasſio. De verbi incarnatione cap. 26.

Fatemur etiam filium hominis fuisse in terra cum Nicodemo loquẽtem, & tamen in cœlis existere, hac tamen regula seruata. Ioan. 3.

Quæcunque attributa alterius naturæ propria sunt, in abstracto commutari nequeunt, sed bene in concreto, scilicet deitatis & humanitatis, vt alio dictum est.

Tamen abstractum vocamus formã ipsam à materia cogitatione dumtaxat seiunctam: vt exemplo significabo, vt si iustitiam alicuius: seu fortitudinem non autem iustum fortemq; aliquẽ animo menteq; comprehendam, quod & in alijs prædicatis vtique locum obtinet. Iustitia itaque, est res quædã abstracta, quemadmodum & fortitudo, hoc est per se, & non res considerata in subiecto. Fortis autem homo consideratur, vti illa fortitudine præditus.

A simili vt alio dictum est, in Christo abstractè naturas duas, deitatem, & humanitatem, concretè verò Deum hominemq; complectimur, & ita non dicimus, deitas est humanitas, sed Deus est homo. Ideò possumus dice-

De incarnatione verbi cap. 26.
1. Pet. 1.
Rom. 1.

dicere Deum natum, passum, & crucifixum, vt orthodoxè Cyrillus aduertit, ideò Petrus Apostolus inquit, Christum passum esse: tamen addidit in carne. Hocque & Paulus insinuauit, quùm inquit: qui definitus est filius Dei in potentia, secundum spiritum sanctificantem. Siue ergo dicatur homo, Deus intelligitur, siue dicatur Deus, intelligitur homo, quantum ad personā attinet. Sed secus quùm abstracta ipsa nominamus, deitatem dumtaxat, & humanitatem iam ipsæ per se naturæ his nominibus insinuantur: ita salua semper vtriusque naturæ proprietate, nec in corpore, nec in anima Christi errorem inducemus: cui laus sit perennis in seculorum secula. Amen.

THE-

THESAVRVS III. ADVERSVS SACRAMENTARIOS VBIQVITARIOS, DE IIS QVAE AD *Christi officium spectant. Qui Dei & hominum mediator est* *1.Tim.2.*



NVLLI dubium esse arbitror, ex vna Christi Iesu notitia, vniuersam salutis nostrę cognitionem pendere. Non enim est aliud nomen, in quo nos oporteat saluos fieri, nisi in nomine Christi Iesu. , Christi verò notitia ex duobus pendet, ex ipsius persona, & ex officij ipsius cognitione. Ipsa aut persona ex duabus naturis cōflata est, quarum collegimus attributa, significata, voces, & ꝓprietates, vt potuimus cùm ex patribus, tum ex ipso Dei verbo. Et ita exactè oīa expressimus, vt vbiquitatis, omnis sciētiæ, omnisq; potentiæ, deliria, examinata, declarata, explosaq; sint vndique, vt nulla ambigēdi occasio relinquatur amplius, nisi homines in malo velint obstinati esse.

Attributa ipsa ea diximus ratione accipiēda esse, vt duarum personarum impietas euitetur, vtque etiam naturarum tollatur confusio. Ita seruetur vnio hypostatica, vt concilium Calcedonense definiuit, vt duas naturas

turas hypoſtaticè ſolùm vnitas intelligamus confuſas verò nequaquam.

Attributa ſanè ea ratione cōſideranda ſunt, vt fateamur, nonnulla ita diuinitati conuenire, vt nulla ratione humanitati conueniant, & econuerſo: quia quæ propria ſunt homini de Deo, & de deitate dici nequaquam poſſunt. Ita vt Dei gloriæ appellatio ſoli deitati in abſtracto conueniat. Talis autem enunciatio vera eſt, ſed impia & nefaria, ſi fateamur deitatem crucifixam eſſe. Quemadmodum fatemur nos credere in Ieſum Chriſtum vnicum Dominum noſtrum Dei filium conceptum, natum, paſſum, crucifixum, mortuum atq; ſepultum. Et ita in concreto nomine verbi Dei non intelligimus verbum per ſe tantum, ſed Deum in carne manifeſtatum, iuxta illud, Chriſtum in carne paſſum.

Symbolū Apoſtolorum.

1. Pet. 1.

Hinc ad libram examinanda eſt enunciatio iſta, quùm dicitur. An Chriſtus vbique ſit homo, id eſt an humanitas Chriſti ſit vbique, vt volunt quidam noſtri, hiſce funeſtiſsimis temporibus qui humanitatem Chriſti, prô dolor longè lateq; diffuſam, dicunt etiam Chriſtum ſecundum corpus in inferno eſſe præſentem. Quos ructus, vomitus & alia inquinamenta hodie videmus profari in medium, vt quiſque ſibi comparet nomen in vinea Chriſti.

Contra Brētium.

Non tales deſcribit Paulus verbi Dei miniſtros, quos præcipit clementes erga omnes

eſſe

esse, & cum pia humilitate erudire aduersantes. In istis verò furiarum latibula, nõ Dei hospicium cognosces, neque pij fidei ardores sunt, vt ipsi se iactant, sed rabies, odia, & intestinæ simultates, dum quisq; videri vult.

Nam non aduertunt circa enunciationem illam, nam enunciatio potest esse de re, & de sermone. Quæ vt commodius intelligantur, dicam clarius.

Nam planè dicendum est Christi humanitatem non esse vbique, hoc enim solius deitatis proprium est. Ita vt humanitas Christi non est, non sit, non futura sit vbicunque ipsius diuinitas est. Nam cùm deitas sit immensa & incircumscripta, nullum sibi locum determinat, humanitas autem cùm sit finita, creata determinat sibi locum, quãtum ad ipsius rationem attinet, ita vt dicamus humanitas Christi à deitate assumpta solum est in cœlo. Nihil hoc impedit realem corporis & sanguinis præsentiam in sanctißima ipsa synaxi, quoniam vt alio dictum est, non est ibi, vt in loco, sed realiter sacramentaliter, vi & virtute verborum Christi promittentis. Hæc quotiescunque feceritis, in mei commemorationem facietis. Mat. 26.

Hinc dicimus, Christus alicubi est sacramentaliter, alicubi personaliter, alicubi localiter: quia in cœlo est vt in loco, personaliter vbique, sacramentaliter in Eucharistia, & cœna, realiter tamen.

Si autem quæstio, si de sermone, dicere de-

R bemus,

bemus, hanc notam homo, poteſt eſſe ſubiectum & prædicatum, dumque ſubijcitur, locutio vera eſt, quia cùm dicimus, iſte homo eſt vbique: pronomen hoc iſte homo deſignat Chriſti perſonam, quæ vbique eſt. Sed ſi ponatur ex parte prædicati, enunciatio eſt falſa, quia illa nota homo prædicatur ratione formæ, & aduerbium hoc vbiq; determinat prædicatum, & ita inſinuatur humanitatis formam ſe extendi ad omnem locum, quod eſt falſum.

Ideò in Chriſto duo ſunt admiranda, quæ in nobis non ſunt, primum quia dum nos mouemur, mouentur omnia quæ ſunt in nobis, per ſe, vel per accidens, tamen non ita eſt in Chriſto, quoniam eo moto verbi perſona fuit immobilis.

Aliud in nobis eſt, natura excedit perſonã. Nam humanitas inuenitur extra ſuum indiuiduum. Tamen in Chriſto perſona naturã excedit aſſumptam. Quia perſona illa vbiq; eſt, non autem aſſumpta natura vbique eſt. Tamen in his in quibus non eſt niſi vna dumtaxat natura, verum eſt perſonam non excedere naturam, vt dictum eſt de humanitate, ſed ſecus eſt in Chriſti perſona. Et ideò antiquiores theologi & ſaniores dixerunt. Quùm dicimus Chriſtus ſecundum quod homo eſt vbique, eſt vera enunciatio ratione ſuppoſiti, ſed falſa ratione naturæ. Ita enim & ex Dei verbo, & ex ſynodis Epheſina contra Neſtorium,

rium, & Calcedonensi aduersus Eutychetem, constituimus vniri naturas, vt neque naturæ neq; illarum proprietates essentiales vel separentur, vel confundantur.

Nunc accedendum est ad alteram salutis nostræ partem, scilicet ad officium Christi. Luc.2.
Hoc autem officium ab ipsius Seruatoris nomine ab angelo imposito, antequam in vtero conciperetur, insinuatur. Dicitur enim Iesus, id est seruator, & etiam redemptor, quæ nomina quùm communia sint, consideranda sunt. Seruat enim nos iustificando, nam per Rom.3.
ipsum gratis iustificati sumus per gratiam ipsius, quæ est in Christo Iesu, quem Deus proposuit placamentum per fidem in sanguine ipsius collaudandam, ad demonstrationē iustitiæ Dei, qui pro sua facilitate præteritis peccatis veniam dat.

Habebat enim Iesus Christus innocentiam & iustitiā, in quibus cum Deo cōmunicat: mortalitatem etiam, in qua cum homine cōuenit. Cumq; mors vnitur iustitiæ, in eadem confœderatur homo peccator mortalis, Deo iusto, ac immortali. Tribuit itaq; nobis vitam, tribuendo iustitiam, idq; ex mera sua gratia, vi & munere spiritus sancti. Reconciliati itaque sumus Deo per mortem hominis innocentis Rom.5.
Iesu Christi.

Amplius iure creationis pertinebamus ad Deum, tamen homo venundatus fuit, vt faceret malum, in conspectu Domini, & se ipsum

ſupplicij & peccati mancipium fecit: & in his omnibus diuinæ ſententiæ, & diuinæ iuſtitiæ auctoritate detinebatur.

Hinc eadem illa virtus Dei quæ ſeſe exeruit in creãdo homine, neceſſe eſt vt ſeſe exerceat in hominis reſtauratione, & neceſſe erat redemptionis pretium ei offerre, qui damnum ſimulq; fuerat perpeſſus iniuriam.

Nam quemadmodum Deus pater per filiũ ſuum & ſpiritum ſanctum, cum opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa, mundum creauit, ita hominem lapſum per filium in ſpiritu ſancto refictum hominem iuſtificat, & iuſtificando ſeruat. Ideò offerendo ſanguinem ſuum Deo, redemit nos à diaboli & peccati & ſup-
1.Cor.2. plicij ſeruitute, vt qui gloriatur in Domino glorietur. Ita vt manus miſericordiæ Chriſti redemerit hominem de manu ſeruitutis.

Iob.13. Hinc Chriſtus oppoſitè redemptor appellatur, credo enim dixit ille gentilis nomine, ſed chriſtianus fide, quod redemptor meus viuit.

Homo enim ſub peccato gratis venundatus fuerat, operæpretium erat, vt eodem mo-
Pſal.43. do redimeretur, vtrunq; lepidè ſcriptura expreſsit. Vendidiſti inquit: populum tuum ſine pretio. & alibi ait: Gratis venundati eſtis, quantum ad ipſam venditionem attinet: & ſi-
Iſa.52. ne argento redimemini, quantum ſpectat ad ſolutionem ipſam.

1.Pet.1. Quod alibi exponitur. Scientes vos non cadu-

caducis rebus argento aut auro, ex vanis istis patris moribus liberatos esse. Sed Christi pretioso sanguine, sicut integri, vitioq; carentis agni.

Homo enim sub peccato venundatus fuit, & mancipatus in potestate diaboli, qua vinculis peccatorum, ac reatus hominem deuinctum tenuit, tam Dei mandato, quàm hominis culpa, qua tortori designatus fuit. Quis dedit in direptionem Iacob, & Israel vastantibus eum. Nónne Dominus cui peccauimus. Isa.52. Tamen Christus gratis ab hoc onere & molestia liberauit, absoluitq; nos. Et ideò non sine vehementi ratione redemptor appellatur, quod nomen ei proprium est. Nam ad redemptionis actum duo concurrunt, solutionis actus, & pretiũ ipsum solutum. Quorum vtrunque pro nobis Christus exoluit, & impendit, & ideò redemptor dicitur.

Est etiam redemptor non tantum eo modo quo diximus, sed quia præstitit nobis euangelij legem, eamq; opere compleuit, ita vt minister & medius inter nos & Deum patrẽ pro nobis etiã non parum meruerit. Et ita in Christo omnes illi thesauri sapientiæ & intelligentiæ sunt abditi (vt paucis absoluã) sunt in ipso omnia ea quæ nostræ saluti, redemptioni, & reparationi vtilia sunt, & necessaria. Col.2.

Operæpretium itaque est, illum à nobis haberi, & ideò quùm immẽsa propemodum instrumenta sint, quibus Christum habere va-

leamus, fides primarium est, est enim basis nostræ salutis, sine qua impossibile est Deo placere.

Heb.11.

Quantum autem ad officia spectat, quibus nobis Christum comparare possumus sacrificium præstantissimum est. Quod propriè est factum ad placandum Deum, vt Augustinus doctissimè docuit, quùm ait: Verum sacrificiũ est opus q̃ agitur vt sancta societate Deo inhæreamus relatum ad illũ finem boni, quo verè boni esse possimus. Et quoniã Christus vt nos redimeret, vtq; patrem placaret, se Deo obtulerat, obtulit vt homo, accepit vt Deus. Et ideò & sacerdos & sacrificium appellatur. Ideò de Christi sacrificio commodè & aptè dici non potest, nisi de sacerdotio sit nobis sermo.

Lib.10.de ciuit.Dei.

Hinc etiam principiũ ducentes, ne ambiguitatis nota alicui sit erroris caussa, quùm sacerdos & sacerdotium ad antiquum fœdus pertineant, & ad notum spectent, reiecto illo, nam translatum fuit, vt Apostolus inquit. Translato enim sacerdotio necesse est vt & legis translatio fiat, tum etiam quia nihil ad perfectum adduxit lex illa.

Heb.7.

Heb.7.

Fuit enim sacerdotiũ illud explosum propter infirmitatẽ, vt Apostolus inquit. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem.

Loquimur enĩ de sacerdotio nostro, quod non est secundum Aaronis formam, neq; secun-

cundum præscriptum Leuiticum, sed tantum iuxta ritum alium ad Solymæ Regem Melchisedechum habendo respectum. Et ideò omnes patres dicũt Christum in Abrahamũ decimatum nõ fuisse, cũ illi Melchisedechus occurrit. Ideò noster sacerdos ex alia tribu ꝓdijt ex qua nullus astat aræ. Ideò Apostolus, perspicuum em̃ est, à Iuda exortum esse Dominũ nostrum: ad quam tribum quod pertineret, nihil de sacerdotio locutus est Moses. Heb.7. Heb.7.

Hinc principium ducentes primum dicimus, angelis competere potestatem hierarchicam, sunt enim medij inter Deum & hominẽ. A simili Sacerdos Angelus appellatur, ethymologia desumpta ab officio, est em̃ medius inter Deum & populum, cui sacra tradit, atq; ministrat. Ideò sacerdos ethymologia desumpta ab officio dicitur sacra dãs, ait enim Apostolus: Omnis pontifex ex hominibꝰ desumptus, pro hominibus præest rebus diuinis, vt munera victimasq; libet pro peccatis. Heb.5.

Quùm ergo fatemur Christum sacerdotem fuisse animaduersione dignum est, Christum ne dum Angelis maiorem excellentioremque fuisse, quantum ad diuinitatem attinet, sed etiam quantum ad humanitatem spectat, quia fuit plenus gloria & gratia super omnes Angelos. Hinc etiam Angeli expleta lucta cum diabolo accesserũt & ministrarunt illi. Ioan.1. Mat.4.

Fuit tamen propter carnis passionem, vt

Aostolus concludit in modico ab angelis minoratus, & ita non fuit conformis angelis, sed hominibus in sacerdotio constitutis, ipsique maximè cõduxit quemadmodum nunc cum sit præstò vultui Dei irato ad interpellandum ꝓ nobis: cõducit libare dona, quia per ipsum

2.Pet.1. maxima & pretiosa promissa donauit, vt per hoc efficiamur diuinæ naturæ consortes, & ipse humanum genus cum Deo composuit, vt

Col.1. Paulus dicit. Quoniam per eum visum est patri omnem vniuersitatem inhabitare, & per eum reconciliare omnia sibi, pacificandò per eius crucis sanguinem, hoc est per eum, tum terrestria, tum cœlestia.

Lib.10.de ciuit.Dei. Et quoniam vt Augustinus ait, omne sacrificium visibile, inuisibilis sacrificij sacramentũ est, hoc est rei sacræ signum. Fuit Christus sacerdos, qui seipsum sacrificium Deo obtulit. Et ideò sacerdos simul sacrificiumq; & hostia fuit, quòd nulli alteri nec sacrificio cõ-

Eph.5. uenit, nec sacerdoti. Ideò Paulus ait: Quemadmodum Christus adamauit nos, & seipsum pro nobis dedit, fertum hostiamque Deo ad suauem odorem.

Sacrificium autem altero istorum modorum accipi solet, aut pro sacrificio inuisibili,

Psal 50. quo homo Deo offert spiritum suum: iuxta illud: Diuina sacrificia sunt fructus spiritus: fractam afflictamque mentem tu Deus non despicis. Ex quo omne illud quod Deo imolatur, ad hoc vt hominis spiritus feratur in

Deum sacrificium appellari valet.

Homo autem sacrificio eget triplici de caussa, primò quantum ad delictorum remissionem, vt Paulus docet. Omnis enim pontifex ex hominibus desumptus, pro hominib⁹ præest rebus diuinis, vt munera victimasq; libet pro peccatis. Heb.5.

Secundò vt homo in gratiæ statu conseruetur, semperq; Deo innixus sit. Nam in eo pax & salus nostra sita est. Hinc in veteri fœdere pro offerentium salute, hostia pacifica immolabatur. Leui.3.

Tertiò sacrificio egemus, vt hominis mens cumulatè vniatur Deo: & hoc tunc erit, cum mortale hoc induet incorruptionem, ideò in eodem antiquo fœdere, holocaustum offerebatur. 1. Cor.15. Leui.1.

Ex ipso Seruatoris Christi sacrificio dum ipse Rex noster, Mediator, via, templum, fundamentum, ostium, pastor, sacerdos, hostia, sacrificium, redemptor ęterno patri se pro nobis placamentum obtulit.

Primò enim peccata nostra deleta sunt, inquit Apostolus. Traditus est propter delicta nostra. Rom.4.

Secundò gratiæ plenitudinem nobis contulit saluando nos. Ait enim Paulus: perfectusq; omnibus sibi obedientibus salutis æternæ caussa fuit. Heb.5.

Tertiò per ipsum adepti sumus gloriæ cumulum, dum patefecit nobis aditum in cœlũ,

Heb.10. vt docuit Paulus, cùm ad sanctuarium aditũ habeamus liberũ per Iesu sanguinem. Quam viam nobis lustrauit recẽtem atq; viuam, per velum, hoc est per suum corpus, in introitum sanctorum. Et ideò Christus non tantum fuit sacerdos, sacrificium, hostia pacifica, & holocaustum, gratum & acceptum Deo, de quo

Heb.7. Apostolus ait. Etidcirco planè seruare potest eos qui per ipsum Deum adeunt, quippe qui semper viuat, ad supplicandum pro eis. Talis enim nobis conueniebat pontifex, pius, vitij expers, intemeratus, à sordibus alienus, cœlisque sublimior factus.

Quæ autem superiori folio nomina posuimus non sine ratione adiecimus, competunt enim Christo secundum diuersos ipsius actus, ita vt differentia nominum sit penes differentiam actuum Christi. Qui dicitur Dei templũ quia Deus in ipso habitat, nõ tantum per gra-

Ioan.1. tiæ plenitudinem, vt Ioannes inquit: & de plenitudine eius omnes accepimus. Sed etiam per vnionem personalem, nam Deus erat verbũ, & verbum caro factum est, & habitauit in nobis.

1.Tim.2. Appellatur Mediator Dei & hominũ, quia vtriusque naturæ proprietates participat. Ex qua mediatione gratiæ plenitudo ipsi competit, ex qua alijs communicare condecet eum, & ob hãc caussam caput fidelium appellatur, ratione sumpta ab officio, cùm quia superior pars est in homine, tũ quia oẽs sensus omnesq;

motus

motus & virtutes vigẽt in eo. Capitis enim eſt influere motum, ſenſum, vitamque membris. Dicitur etiam fundamentum, quia intellectũ fide illuminat, quæ fides ſpiritalis ædificij eſt fundamentum, atq; vt accendit ad charitatẽ, oſtium dicitur. Charitas enim eſt quæ proximè & directè introducit in regnum, per hæc incorporamur eccleſiæ, & quantum ad hoc Chriſtus ſacerdos dicitur, qui incorporatos eccleſiæ multiplici cibo nutrit, & ideò paſtor appellatur. Qui etiam hoſtia appellatur & redemptor, quia per ipſum à peccatis, & à vitiorum reatibus liberamur, qui & via nominatur, quia per ipſum vti per viam, Mediatorem ac medium, ad patriam ſalutemq́; perennem perducimur.

Eſt enim medium quod perfectè nos Deo nectit, ac ligat, vt Apoſtolus concludit. Qui nos ſibi reconciliauit per Ieſum Chriſtum, nobiſque reconciliationis ad miniſtrationem dedit. Quippe cùm Deus eſſet in Chriſto, mundum ſibi reconcilians, eis non imputans peccata ipſorum. 1. Cor. 5.

Fuit enim Chriſti ſacerdotium longè validius ſacerdotio Leuitico, nam præter illud quod talis ſacerdotij effectus gratiam nõ contulerit, nam gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta ſunt, nec etiam expiabat peccata, ſed ſolum erant ad emundationem carnis. Meritò itaque vt inualidia exploſa, reiectaque fuerunt, itaque in mundum Ioan. 1. Heb. 9. Pſal. 49.

ingre-

ingrediens dicit: Sacrificium & fertū tibi non placet, corpus autem perfecisti mihi: & victimis & piaculis non delectaris. Tunc dixi, ecce adsum. Reiecit illa sacrificia illorumq; sacrificiorum vsum, vt veri sacrificij rationem habeat. Nam cùm superius dixisset, sacrificium, & fertum, & victimas, & piacula ei non placere, nec accepta esse q̄ ex lege fiunt, deinde dicit: En adsum, vt exequar Deus voluntatem tuam. Tollit prius, vt alterum statuat. Et ideò nostrum sacrificium verè expiat & tollit peccata, ideò Augustinus dicit: Quatuor in omni sacrifico considerantur. Cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, & pro quibus offeratur.

Libr 4 de Trinit.

Idemq; ipse vnus verusq; mediator per sacrificium pacis reconciliatus nos Deo: vnum cum illo maneret, cui offerebatur, vnum in se facceret, pro quibus offerebatur, vnus ipse esset qui offerebat, & quod offerebat.

Et quamuis Christus in quātum erat Deus sacerdos nō fuerit, sed vt erat homo. Vnus tamen idem fuit sacerdos & Deus, & ideò Cyrillus orthodoxè definiuit. Si quis pontificem dicit & Apostolum nostrum, non ipsum ex Deo verbum, quando factum est caro, & secundum nos homo, sed tanquam alterū præter eum seorsum hominem ex muliere, anathema sit.

In synodo Ephesina.

Et quoniam humanitas Christi erat instrumentum diuinitati coniunctum, illudque sacrifi-

crificium in virtute deitatis operabatur, ideò erat expiatiuũ peccatorum, vt Apostolus inquit: Quantò magis sanguis Christi, qui per æternum spiritum seipsum libauit innocentissimum Deo, purgauit nostram conscientiã à mortuis operibus, vt viuentẽ colamus Deũ, & infrà ait. Ille vno pro peccatis functus in perpetuum sacrificio, consedit ad Dei dexteram.

Heb. 9.

Heb. 10.

Quæ vt intelligi possint, dicam clarius. Et primò animaduersione dignum est, ad emundationem duo exigi, quia duo etiã sunt in peccato, scilicet macula culpę & reatus pœnę. Culpæ autem macula deletur per gratiam, qua mens peccatoris ad Deum conuertitur, pœnæ autem reatus tollitur ex ipsa satisfactione quę fit Deo. Vtrunque hoc efficit Christi sacerdotium & sacrificium. Primò enim ipsius virtute gratia nobis datur, qua mens nostra ad Deũ conuertitur, vt Apostolus concludit. Iustificati gratis, eius beneficio, per liberationẽ, quæ fit in Christo Iesu. Quem proposuit Deus placamentum, per fidem in eius sanguine collaudandam.

Rom. 3.

Ipse etiam plenè & cumulatè pro nobis fecit satis æterno patri, quia tulit languores nostros, & dolores nostros portauit.

Isa. 65.

Hinc liquidò constat, non esse verum illud, quod Moderni quidam hæretici garriũt, de diuersitate nostri sacrificij, ab ipso seruatoris sacrificio, quantum ad ipsam rem attinet,

Error modernorum.

vt

Lib.10.de Dei ciuit. vt doctissimè moniti sumus authore Augustino. Sacrificium quod quotidiè in ecclesia offertur, non est aliud à sacrificio, quod ipse Christus obtulit, sed eius commemoratio est, sacerdos ipse Christus offerés ipse est oblatio: cuius rei sacramentú quotidianum esse voluit ecclesiæ sacrificium.

Et quamuis in veteri lege quàm plurima animalia sacrificarentur, quotidianum tamen sacrificium, quod vesperi & mane offerebatur.

Num.28. Agnus erat. Quæ oblatio typus & symbolum erat agni veri, de quo est scriptum in noua

Ioan.1. lege: Ecce agnus Dei, ecce qui aufert peccata mundi.

Fuit enim adeò efficax hoc sacrificium, vt

Phil.2. salutem nostram meruerit, vt Apostolus ait, propter quod & Deus exaltauit illum: vt etiá

Super expositione huius loci. Augustinus exponit, & alio dictum est, humilitas passionis claritatis meritum est; claritas humilitatis est præmium. Ipse enim Christus

Ioan.17. non tantum in seipso, sed etiam & in alijs clarificatus fuit.

Fuit enim in Christo gratia non solum pro

Ioan.1. se, sed etiam pro alijs, nam de plenitudine eius omnes nos accepimus. Et ideò Christus munere sui sacrificij non tantum sibi, sed etiam cæteris profuit.

Fuit etiá Christi sacrificium nostra redéptio, nam Christus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Maledictus em omnis qui pendet in ligno.

Fuit

Fuit etiam Christi sacrificiũ nostra satisfactio, inquit enim Psaltes in ipsius persona, quæ non rapui tunc exoluebam. Propriè enim ille facere satis pro altero dicitur, qui exhibet illud, quod ille alius debebat soluere. Ipse enim Christus ex charitate & obedientia persoluit, non solum illud quod nos debebamus, sed longè maius impendit.

Hoc enim sacrificium nostram salutem effecit, auctore Apostolo. Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est, seruandis autem nobis diuina potestas. 1.Cor.1.

Sunt enim in Christo duo, deitas & humanitas, quùm sit Deus atque homo. Princeps caussa nostræ salutis deitati attribuenda est, instrumento tamen humanitatis, quæ vt instrumentum deitati coniunctũ cooperata est salutem nostram.

Liberando enim nos ad charitatem accendit, quùm enim inimici essemus secundum tempus pro impijs mortuus est. Et ita efficit humanitas ipsa deitati coniuncta in vnitatem personæ nostram salutem. Ideò ipsius passiones & actiones operãtur in virtute deitatis ad tollẽdum peccatum. fuit etiam Christi sacrificium medium validissimum, quo à peccatis absoluti ac liberati sumus. Dilexit enim nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Rom.5. Apoc.1.

Fuit etiam expiatoriũ vt à tyrãnide diaboli erueremur. Ideò ipsius passione imminente

Ioan.12. dixit, nunc princeps huius mundi eijcietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum. Quod Augustinus apposité declarat, iustitia Christi victus est diabolus, quia cùm nihil morte dignũ inueniret in eo, eum tamen occidit: & vtique iustum erat, vt debitores quos vinctos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes, quem sine vllo debito occidit.

Lib 13. de Trinit.

Fuit quoque medium hoc sacrificium, vt homo cum Deo componeretur, deijcerenturque simultates. Cùm enim inimici essemus per mortem filij eius Deo reconciliati sumus. Et tandem nobis cœlorum foras referatas patefecit. Habemus fiduciam in introitum sanctorum in sanguine Christi.

Rom.5.

Heb.10.

Contra Caluinũ de caussa peccati.

Sed quoniam animalis homo non est capax eorum quæ sunt spiritus Dei: mirum non est, si hoc sacrificiũ tanti sacerdotis, quibusdá est odor mortis ad mortem, & alijs est odor vitæ ad vitam. His enim est odor vitæ ad vitam, qui non tantum sacrificium accipiunt, sed vim sacrificijq́; efficaciam. Odor autem mortis ad mortem ijs est, à quibus repudiatur. Sed neque istius neglectus caussa est Deus vel sacrificium, sed ipsa hominis corrupta & peruersa natura. Quemadmodum & euangelium propter impiam Iudæorum rabiem, & gentium impietatem, Iudæo scandalum est, gentibus autem stultitia, ita & hoc validissimum sacrificium ob innatam hominum malitiam qui-

quibuſdam eſt cauſſa interitus, & quibuſdam cauſſa exitij, quorum omnium deficiens natura hominis animalis cauſſa eſt.

Huius verò ſacrificij effectus nõ ſolum ad nos emanarunt, ſed etiam ad ipſum Chriſtum. Nam in temporis plenitudine factum eſt auctore Paulo, per vnionis gratiam vt Deus eſſet homo, & homo eſſet Deus. Nec valet ſi dicamus, Deum ab æterno non præordinaſſe ſe facturũ hoc in tempore, ſequeretur enim, quòd diuinæ menti de nouo aliquid accideret, & ita non vocaret ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ extant, quod erroneum eſt. Gal. 4. Rom. 4.

Dicimus ergo vnionem hanc hypoſtaticã fuiſſe ab æterno præordinatam, vt in tempore fieret, & ratio ea eſt. Nam prædeſtinatio diuina propriè eſt eorum, quæ ab æterno præordinata ſunt, vt per gratiã in tempore fiant: Deũ itaque eſſe hominem eſt res in tempore facta, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere. Prædeſtinatum itaq; ab æterno fuit hoc.

Prædeſtinationis nomine, duo intelligi poſſunt in ipſa ſacra ſcriptura (vt verbis ſcholæ vtar) primo abſolutè, vt cùm dico, Petrus eſt ꝑdeſtinatus, & ita non loquimur de Chriſto, alio modo cum additione, & ita loquimur, vt quũ dicimus latronem ꝑdeſtinatum fuiſſe, vt confiteretur regnum Chriſti in cruce penden tis, & ita loquimur de Chriſto. Quia autem vnionis gratia propria eſt naturali filio Dei, et longè eminentior prima, ideò penes iſtam,

S Chri-

Christi prædestinatio concluditur. Rationi enim congruit, vt excellentior gratia termini simpliciter ratioñe habẽs magis terminet p̃destinatioñe simpliciter, si minor illã terminat.

Et quoniam gratia beatitudinis, patriæ includit in se ratioñe gratiæ, & rationem gratiæ per se primò summi & vltimi termini. Quemadmodum species in se claudit rationem generis: & tam gratia æternæ vitæ quàm gratia vnionis conuenit in ratione per se primò termini summi & vltimi, quantum est ex proprijs generationibus. Quod ideò apposui: nã si beatitudo alicuius non propria generatione fieret, sed consequutiuè haberetur, & ita non haberet per se primò rationem termini: Sed consequentis ad terminum.

Ideò animaduertendum est ex communi vsu sermonis prædestinatio respicit absolutè fœlicitatem æternam vt terminum. Est enim prædestinatio ratio ordinis electorum in vitam æternam.

Lib.3.sen. dist.7.Durandus. Hinc moti quidam dixerunt, quòd prædestinatio absolutè est respectu beatitudinis, & hi distinguunt Christi prędestinationem, qua prædestinatus est filius Dei à prædestinatione absolutè: dicentes eam esse prædestinationem ad hoc scilicet esse filium Dei.

Tamen hoc nõ videtur benè dictum. Nam dicimus Christum esse prædestinatum ratione naturæ: ita vt Christi persona prædestinata dicatur ratione naturę assumptæ in vnionem

nem hypoſtaticam, & appellatur prædeſtinata ad Dei filiationem naturalem, vt noſtra adoptionis filiatio à naturali Chriſti filiatione diſtinguatur.

Eſt itaque duobus modis conſideranda æterna Chriſti perſona, vno modo ſecundum ſe abſolutè, & ita falſum eſt ipſam prædeſtinatam eſſe, ad Dei filiationem, cùm ſit ipſa filiatio per eſſentiam. vel vt eſt induta humana natura, & ita prædeſtinata eſt ad Dei filiationem: Per vnionis enim gratiā aſſecuta eſt Dei filiationem.

Quidam alij dicunt aſſerentes, prædeſtinationē Chriſti eſſe in ordine ad beatitudinem: ita vt vnionis gratia fuerit medium in CHRISTO ad gratiam ſummæ beatitudinis animæ ipſius. Scotus ibidem.

Sed rectius eſt ſi dicamus, gratiam vnionis eſſe quid excellentius gratia ſummæ beatitudinis creatæ. Quanto maius eſt eſſe Deum, quàm frui Deo. Et gratiam ſummæ beatitudinis conſequi ad gratiam vnionis, (non vt finis ſequitur ad medium: ſed vt proprietas ad ſubſtantiam, vt calor ad ignem) ideò fatemur prędeſtinationem abſolutè, cōmuniter quidem reſpicere vitæ æternæ gratiam, vt terminum: ſingulariter autem in Chriſto vnionis gratiam reſpicere.

Non me latet etiam, vnde hęc noſtra defluxit oratio de Chriſti prædeſtinatione ratione naturæ humanæ diuerſas pati anguſtias.

Nam Ambrosius sententiam illam Apostoli vertit ad manifestationem Christi: ideò quidam Moderni ita legunt literam illam. De filio suo, facto ex semine Dauidis secundum carnem. Declarato filio Dei potenter secundum spiritum sanctum. Seu vt quidam alij dicunt. Definito Dei filio cum potentia, & hinc duxit principium lis inter Originem, Chrysostomum, & Augustinum. Nam Origenes negat Christum fuisse prædestinatũ, ea dumtaxat ratione motus, quia nota illa præ, antecessionem significat temporis: Et ideò prædestinatur, inquit nemo, nisi qui aliquando non fuit, Christus autem, vt qui semper Deus fuit, destinatus quidem est, at non prædestinatus.

Theodorus Beza.

In libr. de sanctorũ prædestinatione cap. 15.

Chrysostomus verò non significationem (vt Origenes) destinatus amplectitur, sed definitus & declaratus, asserit enim quòd filius Dei qui in mortali carne apparuit, filius Dauidis, patefecit & declarauit se esse Deum ex illa virtute spiritus sancti, qua ex mortuis resurrexit: Iuxta illud cùm exaltaueritis filium hominis à terra, tũc cognoscetis, quia ego ipse sum. Et hic sensus à textu græco Apostoli nõ est alienus.

Ioan. 8.

Sed tamen si fassi fuerimus, quod referri potest etiam prædestinatio Christi ad filium Dei in virtute actuali: ita vt filius Dei ex semine Dauidis secundum carnem, prædestinatus sit filius Dei in virtute actualis operationis sanctificatiuæ & reparatiuæ mundi, ita quòd totum

tum coniunctum, filius dumtaxat Dei in virtute actuali est prædestinationis terminus.

Quæ vt clarius, & apertius intelligantur, vti debemus propositionibus hæreticorum pro veritatis cognitione, & ex differentia illarum ad fidei veritatem videbimus veritatẽ, necessitatem, & proprietatem sensus, quo dicimus natura humana est prædestinata.

Si enim verbum indutum esset carnem per inhabitationem aut affectionẽ, vt fingunt hæretici, aut quouis alio modo non personaliter, falsum esset quod verbum secundum carnem prædestinatũ esset, vt sit filius Dei per vnionis gratiam, quoniam non esset personaliter vnitus sibi Dei filius. Sed quia verbum secũdum carnem est personaliter vnitum sibiipsi, ideò verum est dicere de filio Dei, qui ex semine Dauidis est secundum carnem, quod prædestinatus est filius Dei, insinuat enim ista enunciatio ab æterno prǫordinatum fuisse, vt filius Dei vniret sibi in tempore carnem, & ita sacerdotij effectus ad ipsum peruenit, & nobis per gratiã adoptionis, & ipse per vnionis gratiam, vt in sequentibus dicemus.

Omnium eorum quæ in præcedenti Thesauro dicta sunt, conclusio ea est, vniuersam nostræ salutis cognitionem à Christi sacrificio pendere. Nunc autem quoniam suprà dictum est de virtute illius enunciationis. Quũ dicimus Christum prædestinatum esse, dum

ad limites naturæ creatæ enunciationē transferimus. Nam etsi persona illa ab æterno fuerit filius Dei: hoc tamen non fuit semper, ita vt subsistens fuerit in natura humana Augustino auctore. Prædestinatus est Iesus, vt qui futurus erat secundum carnem filius Dauidis, esset in virtute filius Dei.

In libro de prædestinatiōe sanctorū.

Prima ratio.

Nec aduersariorum obiectiones alicuius sunt roboris, nam cùm dicunt. Prædestinatio primò est ad ea quæ excedūt prædestinati virtutem, nihil tamen est quod verbi virtutem excedat, non igitur vera apparet enunciatio.

Dilutio prioris rationis.

Dicimus: & si vnio personalis ad filiū Dei, non excedat verbi virtutem absolutè, tamen ipsius virtutem secundum carnem excedit, secundum quam est prædestinatus.

Secunda instantia.

Sed adhuc instant: Prædestinatio est ad illud quod est posterius natura saltem prædestinato, quia est ad aliquam gratiam res prædestinata, & gratia supponit naturam. Sed clarū est filium Dei per gratiam vnionis nō esse natura posterius, aut intellectu, verbo incarnato, enunciatio itaque impropria est, dum dicimus Christus prædestinatus est filius Dei.

Dilutio alterius rationis.

Huic occurrimus dicendo, prioritatem naturę esse in vno istorū modorum, aut secundū rem, aut secundū intellectū, & quamuis nō sit prius natura verbum incarnatum, q̃ verbum incarnatum esse filium Dei per gratiā vnionis, tamen prius natura est verbum incarnatum

quàm

quàm incarnationis modus. Talis autem prioritas aperitur ex conueniẽtia & differentia inter hæreticos & veritatem. Nam verbum incarnatum ab omnibus intelligitur, vt res aliqua communis apprehensa, tamen differentia est inter modos speciales vnionis. Nam hæretici fatentur verbum inhabitasse hominem, quemadmodum templum, vel habitũ, vel quouis alio modo extraneo.

Orthodoxi autem fatentur verbum incarnatum esse per vnionem hypostaticam. Quocirca etsi secundum rem nullus sit ibi ordo: est tamen ibi ordo secundum intellectum apprehendentem, qui natus est nõ tantum vnita diuidere, verum vnum atq; idem abstrahere à seipso. Ideò inter verbum, & habens carnẽ & seipsum, vt habens carnem personaliter vnitã in esse actualis existẽtiæ, est ordo naturæ, quẽadmodum inter commune & proprium.

Auerroes in lib. de anima.

Et propterea prædestinatio quæ est mentis actus, & tendit ad rem sub determinata apprehensione, eò quoniam terminatur ad verbum cum carne, & determinat vñionem personalem explodendo reliquos vnionis modos, quibus verbũ cum carne præordinari potuisset. Hinc filius Dei naturalis ex Dauidis semine factus filius hominis, prędestinatus dicitur, & est filius Dei.

Christus enim, dicam clarius, duarũ naturarũ suppositum significat, & ratione humanæ naturæ tantum vtranque suscipit prædicatio-

tionem, & quòd prædestinatus est, & quòd est factus filius Dei: vtrunque enim ipsi conuenit per vnionis gratiam. Tamen magis prima conceditur: quia abstractio Christi secundum naturam humanam à seipso secundum vnionem personalem magis intelligitur supponere ipsum prædestinationi, quæ est mẽtis actus quàm factioni reali: Quùm ibi satis sit ordo, naturæ secundum intellectum, qui minus sufficit factioni.

Hinc ista enunciatio est impropria, Christus factus est filius Dei, multò plus quàm illa, homo est factus Deus: & ratio ea est, quia homo potest habere simplicem suppositionem, vt dicam infrà, & Christus pro persona supponit, & ideò tales enunciationes non sunt dilatandæ sed piè exponendæ, ne in errorem incidamus confundendo naturas. Et quantũ ad sensum attinet, reducendæ sunt ad sensum simplicis suppositionis pro humana natura in concreto. Et ideò solùm ratione humanæ naturæ prædestinatio competit Christo auctore Augustino. Prædestinatio est ista humanę naturæ tanta, & tam excelsa subuectio, vt quò attolleretur altius, non haberet, & ideò nó conuenit p̃sonæ Christi, vt incipiat esse filius Dei absolutè, tamen conuenit ei, vt intelligitur, & apprehenditur in natura humana existens, vt secundum hoc esse incipiat.

In libr. de Sanctorũ prædestinatione.

Iam ad aliud trãseamus & videamus ipsum ipsius sacrificij Christi locum. Potuit itaque

vt

vt hinc initium faciamus, Iesus Christus verus sacerdos, verumq; sacrificium expians humani generis delicta, verus Dei filius, eá quam à patre potestaté accepit, qui omnia dedit ei in manus quæcunque vellet: Locum Solymam inquam, ad nouum sui corporis & sanguinis sacrificij faciendum & instituendum eligere: Iam enim aderat tempus, quando veri adoratores neque in monte hoc, neque Solymæ, sed vbique adorare deberent patrem in spiritu & veritate. Iamq; vmbræ recedebant, ipsaq; veritas clarè apparere & insinuari incipiebat. Figurataq; omnia simul, & figuræ ipsæ adimplendæ erãt ab eo, qui ne trãsuersum quidem iota præterijt, quin cuncta non adimpleret.

Ioan.5. Ioan 18. Ioan.4. Mat.5.

Legalibus itaque cærimonijs finem impositurus, eo consilio & sapientia, cui nec finis est nec numerus: mãdauit discipulis atq; præcepit. Simulac in vrbem intraueritis, incidetis in hominem aquæ fictile ferentem: eum sequimini in domum quã ingreditur, & ibi parate.

Luc.22.

Solymam itaque non alium designat aut eligit locum ad sui corporis & sanguinis sacrificium, sacrificium inquam gloriæ, sacrificium salutis, & vitæ faciendum, & instituendum.

Veteris enim legis obseruatio, patris regnú protendendum, lex & verbum noui sacrificij maiestas, & excellentia tanti sacrificij ita hunc locum, & hanc ciuitatem exigebant, vt alibi

S 5 fieri

fieri prope modum non videretur. Etenim in
Exo.12. hoc nostro sacrificio non agnus ille Israelitici populi immolatur, sed hic anniculus agnus nó ex nostris ouiũ gregibus, addito pane azymo lactucisq; aggrestibus sumitur, sed agnus ille Dei vnigenit⁹ æternusq; filius cœlo delapsus, à fidelibus maxima cordis voluptate comeditur: idq; ad recolendã memoriam, non certè trãsitus exterminatoris angeli per medium Aegypti, aut Israelitici populi per mare rubrum ad terram Chanaam: sed eiusdem Dei filij è cœlis in terram descensus, rursusq; è terris ad cœlum ascẽsus, per suam ipsius mortem turpissimam, atq; resurrectionem gloriosam: cuius merito fideles à peccato ad iustitiam, à morte ad vitam: à potestate diaboli, ad cœleste regnum translati sunt.

Hinc cùm magnum illud ex toto terrarum orbe celeberrimum Dei templum, non liceret cuique extra hanc vrbem & locum, vi-
Ioan.4. ctimas, hostias & holocausta libare, Solymæ enim est locus vbi adorare oportet ex præcepto Iudæorum.

Et quoniã iam vetera illa libamenta & holocausta retrò abierũt, & noua iam facta sunt omnia, nec priora illa iam amplius in vsu esse debebant, sed ista noua in cor hominis figi debebant. Magister & Dominus noster Christus qui missus à patre in mundum fuerat, vt fieret
Gala.4. sub lege, ac ita sub lege fieret, vt ne legis apicem præteriret, ac prætermitteret, ita vt non

esset inuentus similis ei qui cõseruaret legem excelsi. Ne in ipso ipsius mortis articulo omitteretur quicquam, aut vllum calumnię locum relinqueret, cumque magnus ille solemnis & celeberrimus aduenisset azimorum dies, quo die celebrari, & occidi pascha deberet, Solymam ad celebrandum pascha, cum discipulis seruator ipse ingreditur, vt veri sacrificij iugis fidelibus memoria exhiberetur.

Nónne Melchisedechi, Isaaci, Iacobi, omnes denique viri pij sua sacrificia ea fide offerebãt, vt illis futurum Christi hoc sacrificium testarentur?

Tandem quæso quorsum tot sacrificiorũ, cæremoniarum ac rituum genera penè innumerabilia ab ipso Mose diuino numine instituta? An non ea omnia tanquã publicæ quędã, atq; vt ita loquar visibiles cõciones, quę huius nostri sacrificij typũ gerebant ac symbolum erant. Quæcunq; em̃ de sacrificijs scripsit Moses ad hoc sacrificium respiciebant. Nam cum veterum sacramentorum, & mysteriorũ illud omnium primum esset, & maximũ, neq; alibi per legem decebat fieri, nec deinceps aliud hoc excellentius instituendum esset, alius omnino locus tam celebris & magnus eligi nõ poterat ad illud agendum nisi Solyma. Vt quemadmodũ operatus est salutem in medio terræ, ita & tanti sacrificij institutio eo fieret, quo loco nec sanctior haberetur alius, nec celebrior,

nec

nec ad phase celebrandum aptius. Scriptũ est enim. Manè floreat, & transeat, vespere decidat & induret.

Quæ si mente & animo cõplecti velimus. Quid enim illud manè, nisi veteris legis initium, quid vespere, nisi finem significat? Nam prior illa lex Mosis, Christo foecũda quotidiè ad Christi vsque aduentum legi, quotidiè
Ioan.8. exponi, quotidiè declarari debebat. De me inquit Christus scripsit Moses. Quæcunque ergo de sacrificijs & ritibus scripsit Moses, cuncta significationem Christi habent, & Christi symbola sunt.

Nec enim Moses, vt quidam volunt, tot ritus ac cæremonias ea tantum ratione instituit, vt populum in ciuili quadam aut ecclesiastica disciplina contineret, ad quod ea certè quàm maximè necessaria esse non negamus. Nam & Numa Pompilius, Solon, Lycurgus, & pleriq; mundi sapientes idem fecere: Sed ea ita Deo præcipiente instituit, vt his præcipuè veluti mundi typis, & doctrina, & figuris, fides etiam de vero Christi sacrificio, de morte & resurrectione ipsius apud populum Israeliticum seruaretur, ea nanque sublata actum est de humano genere ilicò.

Ioan.17. Hæc est, inquit Christus vita æterna, vt cognoscãt te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quæ sanè cognitio nisi ad sacramenta accedat, ea omnia Deus nihili
Isa.1. facit, sed aspernatur & reijcit. Quo mihi inqt, mul-

multitudo victimarum vestrarum? ne offeratis mihi vltra sacrificium, frustrà suffhitum, abominatio est mihi, solemnitates vestras odit anima mea. Ipsam autem misericordiam, ac sui ipsius scientiam omnibus sacrificijs proponit: misericordiam, inquit, volo, non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocaustum. Oseæ 6.

Hæc verò est scientia Dei nosse illum iustum & omnium in se credentium iustificatorem. Ipsa itaque Christi cognitio, & vera in eum fides, qua patres offerebant sacrificia Deo grata faciebant illa.

Sed manè illud totum, hoc est, omnes illas ipsius legis, prophetarumq́; omnium voces, tanquam flores odorem Christi venturi spirantes, & annunciantes, adimpleri, vt tantus, & tam dulcis, & suauis fructus appareret: ideò offerentes publicè profitebantur se vnica seruatoris Christi oblatione fore seruandos, quam fide in futurum prospiciebant, vt lepidissimè Augustinus dicit. Prima sacramenta quæ offerebantur & celebrabãtur ex lege, prænunciatiua erant Christi venturi, quę cum suo tempore & aduentu impleuisset, ablata sunt, & alia instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Heb. 10. Aduersus Faustum Manichæum.

Quod si verum est quod hæretici dicunt, simplicia tantum signa esse, quemadmodum antiqui fœderis sacramenta, quomodo virtute maiora & vtilitate meliora essent? sicut Augusti- Contra Caluinũ.

gustinus concludit, & aptissimè testatur.

Propterea totus in Deum cõuersus, ita precabatur in spiritu vates, & clamabat. Aperiatur terra & germinet seruatorem. Quo quidem germinato & orto, sicut scriptum est, terra nostra dedit fructum suum. Sentiens itaque vates & propheta, manè illud floruisse iam, & trãsijsse, ne vnquàm ipsius odor, odorem nouæ legis orientis inficere possit, cõfestim subintulit, vespere decidat, hoc est, non modò principium, sed finis etiam, scilicet tota omnino lex illa prior Mosis decidat, induret, & arescat, ac penitus resoluatur. Quod etiam & ipse Moses mandat ac præcipit. Vetera, nouis superuenientibus proijcite. Quod totum dilucidauit Apostolus, cùm colligit dicta, quibus sacerdotiũ Christi à sacerdotio Leuitico separat & ponit differentiam ex officio, quùm

Heb.8. inquit: Nunc hic tanto præstantius sortitus est munus, quanto melioris testamenti est mediator.

Heb.9. Ponitq; discrimen ex oblationibus quùm ait, quo tempore munera & hostiæ libarentur, quæ immolatorem quòd ad consciẽtiam attinet, perficere nõ possent posita tantum ad tempus in cibis, & potionibus, diuersisq; lotionibus, & carnalibus institutis, vsq; ad correctionis tempus.

Exo.25. Cum pro figura igitur & vmbra queadmodum scriptum est: ne priorum memineritis, & antiqua ne intueamini: ecce noua facio omnia

nia: res & veritas reponenda & instituēda est, hoc est noua hostia, noua victima, nouum sacrificium, dum nouum dixit, ait Apostolus: Heb.8.
prius antiquauit: quod antiquatur & senescit prope interitum est. Nam illud est sacramenti proprium, non modò rem sacram significare, sed etiam ipsam continere, atque conferre: cùm verò sacrificia & ritus patrum hominis iustificationem neque continerent, nec insuper conferre possent, impropriè sacramenta appellabantur, sed infirma potius, egenaq; elementa & vmbræ, non rem ipsam, sed imaginem tantum rei habentes ab Apostolo Heb.10.
appellantur. Seruare enim nequeunt ad se accedentes, sed tantum illum ostendunt, qui seruat omnes homines venientes in hunc mundum, qui solus tollit peccata mundi. Ioan.1.
Impossibile est enim sanguine hircorum aut vitulorum auferri peccata. Heb.9.

Nouum inquam sacrificium illud est, quod peccata delet, quod ad vitam reuocat mortuos, & à mundi huius cupiditatibus auulsos superni regni statuit hæredes. Sacrificium nouum, nunquam antea repertum in millibus. Offerri iam Agnum non illum Mosaicum, sed salutis omniū & vitæ auctorem & datorē. Exo.12.

Hoc totum non modo consentaneum, sed prope necessarium fieri Solymæ non alibi fuit, cùm scriptū sit legē non permittere sacerdotem et prophetā perire extra Solymam: hoc Mat.23.
est Christum Iesum, pascha nostrum extra

illam ciuitatem offerri, in qua ſtatim debuiſſet in crucem & mortem tradi.

In cruce enim & morte recuperat nos & in ſacrificio Chriſtus.

Verum diſcrimen inter has recuperationes ante oculos ponendum eſt, nam hæc recuperatio fuit inuiſibilis, illa apparens: hæc in conſpectu Domini, illa coram hominibus: hæc in cœnaculo, illa in publico: hæc in medio diſcipulorum, illa in medio latronum: hæc per verbi Dei operationem: illa per manus impiorum.

Cum morte igitur, & crucis morte, & ante mortem & crucem, inexplicabili quodam etiam mortis experimento, ac memoria, corporis ſcilicet & ſanguinis ſui ſacrificio, redimat nos & recuperet Chriſtus, non duobus quidem ſacrificijs, ſed vno, & eodem, primo in cœna incruento, poſtmodum verò eodem ipſo in cruce cruentiſsimo, & propterea quo in loco claro videlicet & regio, eſſet in cruce moriendum, ibidem etiam corporis ipſius & ſanguinis ſacrificium inſtituendum fuit, ne ſi id obſcuriori loco factum fuiſſet, & inſtitutũ, quod tantæ apud Deum redemptionis eſſet, & meriti, minoris forſan apud nos exiſtimaretur imparitate loci.

Contra Lutherũ & ſectarios oẽs.

Nec vera eſt illa impietatis nota, qua hæretici noſtris temporibus funeſtiſsimis parentant, atque afficiunt cum hoc ſacrificium, tum & noſtræ uouæ legis ſacramenta, qui nullum inter

inter veteris & noui testamenti sacramenta discrimen faciunt, sed asserere conantur ipsum Deum eadem mundi, vt ita dicã, infantiæ tradidisse sacramenta, quæ maturæ ætati tradita sunt, eadem seruis, quæ liberis, nec præstantiora per filium, quàm per seruos præstitisse.

Vt quid nobis lætabundum exultabundumq; nouis, veteribus prorsus ex omni memoria deletis, iuberet, si hæc illis præstantiora non sunt? Quin potius omnes intelligãt vetera illa sacramenta signa tantum fuisse salutis nostræ in Christo reuelandæ.

Nostra verò sacramenta non tantum iam partæ per ipsum salutis signa, sed coefficientia esse salutis dona, & certissima & ditissima p̃sentis salutis pignora esse cognoscimus.

Quòd si nulla fieret inter hæc sacramenta distinctio, hæreticum atq; tandem valde impium dogma statueretur, quod funditus religionem christianam atq; orthodoxam fidem euerteret? Nam si Deus futurarum rerum sacramenta per patres veteris testamenti instituit, per filium verò suum pręteritarum rerum solum sacramenta sanxit, vt volunt hæretici: Christus ergo Mose inferior est, cùm longè præstantius sit futura ostendere, quàm præterita memorare? Illud enim non nisi viris cum Deo coniunctissimis concedi solet, hoc autem viuis vel abiectissimo homini licet, verum non ita res se habet. Et Moses quidem fidelis erat in vniuersa domo eius, vt famulus, Heb. 3.

ad ea teſtanda, quæ erant dicenda. At Chri-
Eph. 4. ſtus vt filius eſt eius domui propoſitus, cuius domus ſumus nos. Ideò aſcendēs Chriſtus in altum dedit dona hominibus, quæ longè maiora ſunt, quàm patrū inſtituta: fit enim præcedentis mandati abrogatio, propter eius infirmitatem, & inutilitatem. Quandoquidem nihil perfecit lex, ſed adiectio melioris ſpei, per quam ad Deum accedimus.

Lapſus Petri martyris. Quod ſi christiano populo ſimplicia ſigna & virtute carentia Chriſtus reliquiſſet, qualia ſynagogæ ſuæ Moſes reliquit, illud quod certè abſurdiſsimum eſt, ſequeretur, vt ancilla æquè ac domina tractaretur, & Moſes præſtantiora donaſſet quàm Chriſtus. Quid eñ preciosius circūciſione, quæ fidei ſignaculū erat? Quid māna opulētius? Quid aqua è duriſsimo fluēte ſaxo mirabilius? q̄d tot agnorū, tot vitulorum, totq; hircorū ſacrificijs magnificētius?

Heb. 7. (margin)

Rom. 4. (margin)

At contra quid pauxilla baptiſmi aqua, & Euchariſtiæ pane, ſi ſeriem rei ſpectes cōtemptius à Chriſto tradi potuiſſet? Certè ſi nihil aliud ſacramēta noſtra haberent, præter quàm quod ſenſibus percipi poteſt, verum omnino illud eſſet: & Moſen Chriſto excellentiorem eſſe, atq; fuiſſe in condendis ſacramentis, Moſis ancillam, quàm Chriſti ſponſam honorificentius habitam.

Sed abſit, vt quis ita credere animum inducat, nam Chriſti ſacramenta etſi iuxta ſeriem abiecta videantur, tamen habent aliud, quàm

quàm quod præ se ferunt, idque diuinum & ab omnibus sensibus remotum, quippe quòd non tantum significent, sed quod coefficiant, ac rem ipsam significatam contineant.

Amplius si Christi sacramenta signa simplicia sunt, illud necessario sequitur, nos adhuc vmbras non ipsam veritatẽ habere: Quod si concedatur, illud quoque concedendum est, quòd vana sit fides nostra, & inanis fidei prædicatio. Nondum enim aduentauit veritas, si vmbræ supersunt adhuc, sed cùm per ipsum iam facta sit veritas, iam signis nõ est amplius relictus locus. Ideò cùm augustissimum Eucharistiæ sacramentum percipimus, non fide tantum Christi carnem & sanguinem edimus & bibimus, & illius merita nobis applicamus, hoc enim & veteres patres manna comedendo, & aquam è petra bibendo consequebàtur, sed verè nos ex ipsius sacramẽti virtute carnem Domini & sanguinem verè manducamus & bibimus.

Lapsus Caluini.

1. Cor. 15.

Ioan. 1. Contra Martyrẽ & cæteros.

Fides autem orthodoxa est hæc vt credamus, quòd quemadmodum Christus est verus Dei filius inuisibilis, sub veritate nostræ carnis factus visibilis & sensibilis: ita illius sacramenta inuisibilem veritatem sub signis visibilibus, ac sensibilibus continent.

Vt enim diuinitas & humanitas in vna persona coniuncta faciunt verũ Christum Dei et hominum mediatorem: ita veritas & signum faciunt verum nostræ salutis sacramentum.

1. Tim. 2.

Apposita declaratio.

Neque in hac signi & veritatis cognitione aliqua imaginãda est confusa permixtio: Absit.

Nam quemadmodum in vnione verbi ad carnem nostram nõ est huiusmodi facta commixtio, vt aliqua in coniunctas naturas sit orta confusio, sed vtraque integram suam naturam & proprietatem retinuit, ad excellentiorem gradum tamen ascendit ipsa humanitas, ita in vnione rei ad signum, vt fiat sacramentum. Non fit aliqua rei aut signi confusio, sed ipsa signa integra permanent, suamq; veritatẽ & proprietatem seruant: etsi excellentiorem dignitatem sortiantur, ob sibi annexam veritatem.

Heb. 7. Non igitur sub signis & vmbris, sed in ipsa veritate versamur: hoc enim fecit semetipsum offerendo. Lex enim homines constituit pontifices, imbecillitate præditos: at iurisiurandi legem secutus sermo, filium in perpetuitatem perfectum. Quæ tamẽ veritas etsi signis velut inuolucris contegatur, vt à matre Christus in-

Luc. 2. fans pannis inuoluebatur, quod tamen inueniendi Christi pastoribus ab angelis datum est in signum, non tamen inania signa sunt. Quæ præterita tantũ, aut futura demonstrent, sed ea præsentia in se contineant.

Lapsus Bullingeri. Sunt autem ipsa veritatis signa veluti vehicula, quibus ad veritatem ipsam ducimur, & ad eam nos accedimus, & eam ad nos trahimus: ita & diuinitas Christi seipsam nobis per carnem quasi per diuinitatis vehiculum communi-

municauit.

Exempli caussa nobis sint Mosis sacramenta ab ipso Christo suscepta, vtpote circũcisio, non idem in ipsius persona ostendebãt, quòd in vulgaris alicuius Iudæi persona. In hoc em homine sumpta sacramenta ostendebant, nõ hunc ipsum esse Christum, sed quod is venturum Christum expectarit: in illo verò ostendebant eundem esse Christum, non certè venturum, sed qui iam adesset, & inter homines versaretur. Luc. 3.

Seruatoris autem præcursor veterum patrum & Christi sacramentorum differentiam insinuauit, vt illi futurum Christum prędicauerunt, & multis illum figuris deliniarunt, sed Ioãnes præsenti illo testimonium perhibuit, & protẽso digito summa animi alacritate mõstrauit. Ecce inquiens Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: ita illorum sacramenta futurum tantummodo Christum significabant: nostra verò & præsentem illum nobis ostendunt, & liberaliter donant. Ioan. 1.

Lapsus Caluini.

Hanc autem veritatem nobis sub mysterio signorum visibilium tradit, quemadmodum & diuinitatem suam, donauit sub carnis palpabilis mysterio, qui etsi venit in mundũ, Deus verus de Deo vero, tamen nostrę humanitatis inuolucris indutus venit, ex ijs nobis exoluendus, ita sub inuolucris res eximię latent. Nunc tanti scilicet sacrificij corporis & sanguinis sui merito clarificatus est filius ho-

minis, & Deus clarificatus est in eo, verbum prætetea illud tãtum, de tanto sacrificio proferendum, scilicet. Hoc est corpus meum. Hic
Mat. 26. est enim calix sanguinis mei. Et quæ ferenda
Mar. 14. simul erat lex. Accipite & manducate ex hoc
Luc. 22. omnes, hoc facite in meam commemorationem.

Cauillus aduersariorum. At obijciet quispiam, quid signis adhuc & figuris opus erat, postquam venit plenitudo temporis, veritas patefacta est, & vetera abierunt? vt quid ipsa veritas nudè nobis non datur? vt quid nouis inuolucris inuoluitur?

Dilutio. Dicimus, ꝙ qui in nouo testamento sunt dicuntur & in veritate & sub figuris esse: in veritate respectu Hebræorum, qui erant sub simplicibus & inanibus signis: sub figuris, & vmbris. Lex enim vmbram habẽs futurorum
Heb. 10. bonorum, non autem ipsam expressam formam rerum.

Sumus tamen sub figuris quantum attinet ad eos, qui cum Christo sunt in cœlis. Hi enim vident Deum sicuti est, nos autem in ænigma-
1. Cor. 13. te & ex parte cognoscimus.

Lapsus Exigesis. Est enim status noster medius inter beatorum statũ & Iudæorum, & ideò necessarium erat vt amborum statuum particeps esset, ideò signa & figuras nobis Christus tradidit, ipsam veritatem habentes. Quia adhuc nudæ diuinitatis, & puræ veritatis dum mortale hoc tegimur ob nostram infirmitatem, nulla ratione quan-

quantum ad nostram naturam attinet, capaces esse valemus.

Cùm aūt venerit quod perfectum est euacuabitur quod ex parte est, & euacuatum cùm fuerit ꝙ corruptibile est, mortiq; obnoxium, non amplius sub signis & vmbris, aut sacramento veritas nobis communicabitur, sed ea nullis circumfusa tenebris, aut operta velis nobis illucescet. Videbimus enim illā sicuti est, cognoscemus quemadmodum & cogniti sumus. Ideò Apostolus de Eucharistię sacramēto dicit, mortē Domini indicabitis donec veniat: nempe in maiestate sua & gloria, tunc enim nihil amplius iam in mysterio, sed palam omnia nobis patefient. 1. Cor. 13. 1. Cor. 11.

Interim autem dum infirma hac & mortali carne contegimur, minimè possumus ipsum Deum, nec nudam ipsius veritatē intueri, sed sacramentorū inuolucris sese suamq; veritatem nobis communicat: Sic nobis nō iam nudam exhibuit veritatem siue diuinitatem quā alioqui non sustineremus, sed eam velo carnis nostræ cōtexit, vt vel hoc modo nos illius capaces efficeret, ne quādoq; cùm Israelitico populo diceremus, non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur. Exo. 19.

Nostrorum ergo sacramentorū signa pędagogi munere funguntur, quæ nos ad ipsam latentem veritatem deducunt, vt panis ad corpus Christi verum, & ad realem Christi carnē & vinū ad verum et realem Christi sanguinem

ita vt dicamus. O panem verè ſacrũ, verè pinguem, & prębentem delicias, panem per quem ſpecioſa deſerti, id eſt pœnitentium corda vſque adeò beantur, & pingueſcunt, vt vnum fiant, vnumq; ſint cum eo quod accipiunt panem verè cœleſtem, & angelorum prębentem delicias regibus.

Non ſecus panis iſte ad verum Chriſti corpus nos adducit, ac opera quę Chriſtus in carne geſsit, ad diuinitatis illius cognitionẽ aditum aperiebant. Quin potius hæc ipſa ſacramenta velut actus quidam ſunt, quibus adeuntes hæreditatem accipere conſueuerunt. Nam per hæc ſacramenta, quaſi per authenticos & legitimos actus venimus in poſſeſsionem hæreditatis illius, cuius ab ipſo Chriſto Dei filio inſtituti hæredes ſumus.

Aduerſus Martyré & Caluinum.

Impiè enim faciunt qui noſtra ſacramenta calumniantur, & titulum ſine re appellantes, cùm potius ſint res cum ſuo titulo: Quemadmodum nec Chriſtus eſt ſine diuinitate, nec humanitas aliquando poſt aſſumptionem ſine diuinitate fuit. Quod enim ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.

Propterea non minus impiè agunt, & in Chriſtum peccant, qui illius ſacramentis veritatem amotam volunt, quàm qui illius diuinitatem negarunt. Nec minus errant, qui ſigna à ſacramentis amouent, quàm illi qui diuinitatem ipſius ab humanitate ſeparantes, eò prolapſi ſunt, vt illius humanitatem phanta-

ſticam

ſticam & imaginariam dixerint.

Cùm enim baptiſmi aqua diluimur, hinc ſolum initium facientes, quò faciliùs cognoſcantur reliqua, non ſola fidei virtute renouamur, atque in filios Dei regeneramur: nec ſola fide delictorum condonationem & iuſtitiã conſequimur, quemadmodum hęc eadem patribus mare rubrum traijcientibus, in quo baptizati ſunt, imputabantur, nec tamen conferebantur, ſed ex ipſius baptiſmi munere quicunque baptizantur, verè & realiter Chriſtum induimur, ita vt veritas ipſa ſit nota. Vt autem ad aliud accedamus. Omnibus, qui ad ſanctam Domini noſtri Ieſu Chriſti menſam, corporis ipſius, & ſanguinis per verbum eius myſteria facturi accepturiq; accedimus, cogitandum toto animo eſt, ac meditãdum in primis, totum illud quod ex pane ibi fit, & vino, vt nomen ipſum hoc etiam docet: & amoris eſſe & gratiæ ſacramentum. Conſecratus enim panis Euchariſtia dicitur, quod gratiarũ actio interpretatur. Propterea quod nõ ſolum nos ad gratias, pro tali, ac tanto erga nos beneficio Dei, ei ſemper agendas vehementius incitet, ſed vt cognoſcamus nos ibi præſentem totum Chriſtum integrum, verũ videlicet corpus verumq; ſanguinem. Quod totum perſpicuis Chriſti verbis verum eſſe euangelica teſtatur hiſtoria.

1.Corin.10.

Rom.6.

Accipite & comedite, hoc eſt corpus meũ, accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus. Luc.22.

Hanc tamen gratiam, hoc tantum amoris pignus elargitur mundo, redemptor mundi,
Ioan.1. antequam recedat à mundo. Nocte igitur, traditionis suæ, qui lux & vita erat, & ad illuminandum mundum venerat, sacrificium lucis & vitæ iccircò instituit, vt non modò ex tanti sacrificij mysterio, sed ex ipsius etiã temporis quo fieret, significatione latẽter indicaret illud, ꝙ apertius insinuauit Apostolꝰ, iam cessisse figuras, & patefactã esse veritatẽ. Nox
Rom.13. ꝓcessit dies aũt aduentauit, nox inquam typorum præcessit, aduentauit dies lucis, dies veritatis, dies amoris, & perpetuæ fœlicitatis.

Fuganda nox illa erat, adducẽdus hic dies,
Mat.26. quùm dictum est: Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur: & iterum postquam cœnatum est. Accipite &
Luc.22. bibite dixit, hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Aduersus Martyrẽ & Caluinum. His enim verbis tam clarè tamq; apertè demonstrat sub hoc panis & vini sacramento, verum sui ipsius corpus & sanguinem contineri, & fidelibus communicari: vt qui aliter sentiat, is cæcutiat in meridie.

Insignem hanc Dei filio notã inurunt, qui asserunt hoc sacramẽtum simplex tantum signum esse corporis & sanguinis Domini, minimeq; ipsum corpus & sanguinem sacramento contineri.

Qui deniq; nescio quod spirituale corpus som-

somniat. Non carne & sanguine constans, sed meritis conflatum, quod etiam sine sacramento sola fide percipi potest, & aiunt nō propriè omnino vt litera habet, intelligi debere Christi verba, sed parabolicè aut figuratiuè auctore Augustino: si facinus inquit, aut flagitium videtur iubere, aut vtilitatē, aut beneficentiā vetare, figurata locutio est, nisi manducaueritis carnē filij hominis inquit, & biberitis eius sanguinem & facinus vel flagitiū videtur iubere; figura est ergo præcipiēs passioni Domini esse communicandum, & suauiter & vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata fuit.

Obiectio aduersariorum.

Lib. 3. de doctrina christiana cap. 36.

Hæc garriunt & oblatrant ministri sathanę, & mendacij magistri, in errorem alios inducentes, & ignorantes scripturas. Neq; animaduertunt beatum Augustinum non dicere hanc locutionem, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, & hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur, esse figuratā. Absit à tanto patre, qui vbique veritatem & vt ita dicam, realitatē corporis & sanguinis domini in sacramento inculcet, vt figuratè & nō propriè Dei filium locutū hoc loco fuisse affirmet. Dicit enim & appositè locutiones illas quibus idem Dominus cum Capernaitis vsus est, figuratas esse. Nō enim carnem suam in sacramētali specie edendam, & sanguinem suum bibendum tunc polliciebatur, sed figuratè de carne sua & sanguine suo sacramen-

Cauilli reiectio.

Mar. 14.

Ioan. 6.

mentali loquebatur, quæ nobis daturus erat.

Non enim contendo multas figuratas esse locutiones in scriptura, sed nusquam inueniemus à Mose in instituendis veteris legis sacramentis locutiones fuisse vsurpatas, neque ipse Christus vsus est, dum nouæ legis sacramenta instituit. Sunt enim ipsius verba non figuratiuè aut metaphoricè interpretanda, sed verè, iuxta ipsorum propriũ sensum, & ad literam intelligenda, & ab eorum sensu ne latum quidem vnguem est recedendum.

Super psal. 93. Et Augustino, eundem oppono Augustinum. Qui persuasurus suo populo illud, scabellum pedum esse adorandum, audite obsecro, vnde nam huius rei repetat argumentum. Suscepit Christus de terra inquit, terram, quia caro eius de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam manducandam ad salutem dedit, nemo carnem illam manducat nisi prius adorauerit.

Aduersus Martyrẽ & Caluinum. Vident iam hæretici quàm hæc vera corporis præsentia Augustino fuerit certa & indubitata? quàm fuerit persuasissima, cuius argumento Christi docet adorandum esse scabellum? Carnem ait de Maria sumpsisse, & ipsam nobis ad manducandum dedit, & alibi.

In sermone ad infantes. Quod vidistis panis est & calix, quòd vobis etiam oculi vestri renunciant: Quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix est sanguis Christi.

Cùm

Cùm enim sacramenta sint fidei symbola, necesse est, vt & certa ac vera sint, & apertis Dei Iesu Christi filij verbis instituta, ne huc atque illuc incerta sede fides nostra oberret, atque vacillet, sed habeat vbi in tuto pedem ponat: quod certè non posset, si verba secus atque sonant interpretarentur, (vt passim nostris hisce temporibus videmus contra receptum ecclesiæ vsum, & contra patrum sentẽtias) ipsa verba dilaniari in sacramentis, atque aliò protendi. Qui eò prolapsi sunt, vt noui Pelagiani effecti, aduersus clarum & apertum Dei verbum, contra communem totius ecclesiæ orthodoxæ vsum, sensum & consensum asseuerare nõ dubitent, paruulos fidelium hoc solo, quia fidelium filij sunt regnum cœlorum consequi. Aduersus quem errorem iam multis ab hinc annis reclamauit Augustinus, inquit enim, quisquis dixerit quod in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine sacramẽti eius participatione de vita exeũt, hic profectò & contra apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat ecclesiam, vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur, & curritur, qa sine dubio creditur, aliter eos in Christo viuificari omnino non posse.

Aduersus Caluinũ.

In epistolarum lib. epist. 28.

Sed tamen quidam aduersus omnium sanctorum patrum dicta, & contra totius orthodoxæ ecclesiæ receptum vsum non verentur illa seruatoris verba, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non de aquæ elemen-

Caluinus.

Ioan. 3.

mento, verũ de mortificatione accipi debere affirmant.

Refutatio Caluini.

Eò prolapsi sunt homines inflati sensu carnis & propriè temeritatis spiritu, vt ipsa sacramentorũ verba aliò protrahant, quàm vbi veritas exposcit, totiusque ecclesiæ consensus docuit, ac tandem omnium piorum sententia fuit.

Verùm reiectis his crassibus erroribus fatemur, cum Christo omniũ seruatore, & sponsa ipsius ecclesiæ: nisi quis renatus fuerit ex aqua visibili & spiritu inuisibili, profectò ex cœlorum regno exhæredandus, ideò Augustinus ait: Scriptum est, baptismi vicem, quandoq; implere passionẽ, de latrone illo, cui nõ baptizato dictum est: hodie mecum eris in paradiso. Quod etiam & Cyprian⁹ affirmat. Ait enim, quod etiam atq; etiam considerans inuenio, non tantum passionem pro nomine Christi, id quod baptismo deerat, posse supplere, sed etiã fidem conuersionemq; cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustijs temporum occurri non potest. Neq; enim latro ille pro Christi nomine crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorũ: nec qa credit passus est, sed dũ patitur credidit. Quantum itaq; valeat etiam sine visibili sacramẽto baptismi quod ait Apostolus: Corde creditur ad iustitiam ore aũt confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est. Sed tũc impletur inuisibiliter, cùm mysteriũ baptismi, non contem-

De baptismo cõtra Donatistas lib. 4.

Luc. 22.

In sermone de cœna dominica.

Rom. 10.

temptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.

Eadē em̄ interpretandi licētia abusi illa verba hoc est corpus meū eo verterunt, vt corpus Christi allegoricum fateantur à nobis sumi. Mar. 14. Martyris sententia.

Quæ vt apertius intelligi valeāt, clarius dicam, cùm seruator baptismi sacramentū præcepit, dicens. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non potest introire in regnū Dei, & rursus: baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Hæc sunt ad verborum sonum intelligenda, & aqua baptizandum est, neq; figuratè hoc loco locutus est Iesus, etsi aqua ad peragendum tam altū & grande mysterium inanis sit profectò, ad regenerandum ipsum hominem, & ad animi sordes abluendas. Cur quæso in Eucharistiæ sacramentalibus verbis non seruabitur? Ioan. 3. Mar. vlt.

Si in alijs instituendis sacramentis nō figuratas, non tropicas locutiones, sed apertos ac simplices vsurpatosq; sermones animaduertimus, vt quid hoc sacramentū excepisset Christus, de quo nō simpliciter & explicitè, sed figuratè loqueretur: imò seruator ita apertè in instituendo hoc sacramēto locutus est, vt nullum reliquerit nisi perfidis & incredulis dubitationis, aut coniecturæ locum, vt si vnquā ambigendum sit, in alio potius q̄ in hoc vno possis ambigere: cū expresſius nunq̄ nec apertius ipsum Christū locutū fuisse videam⁹.

Suprema illa nocte, qua ex hac vita migran-

grandum sibi cognitum erat, quaq; sacramen-
Ioan.16. tum hoc instituit, dixit, iam non amplius in
parabolis loquar vobiscum, sed palam de pa-
tre meo annunciabo vobis.

Ecce iam palam loquitur, accipite & man
ducate? Nónne satis fuit dicere, accipite? cur
addidit etiam & comedite?

Non satis vtique, vtrunque dici necessariũ
fuit, cum duplex enim sit tanti cœlestis sacrifi-
cij manducãdi modus, vnus scilicet sacramen
talis, alter spiritualis, & doceri vtrunque pari-
ter, & præcipi oporteret, non modo accipite,
sed dicendum fuit etiam & comedite. Nec re-
Mar. 14. fert nõnullos euangelistas hoc prætermisisse,
Luc. 22. quia quidam eorum dixerũt, quis enim ab al-
Mat. 26. tero audiens dedit, ab altero sumite, non cla-
rè percepit, & ratione dari corpus Christi, vt
qui manducat spiritualiter, idem sumat etiam
sacramẽtaliter, ac rursus, qui sumit sacramen-
taliter, idem sub ipso sacramento sumat etiam
spiritualiter. Hinc institutum est, vt in tanti
sacrificij oblatione diceretur, accipite & man-
ducate, vt per hæc ipsa Christi verba clarius
doceretur, & ostenderetur, debere omnes qui-
dem spiritualiter sub sacramẽto manducare.

Cùm autem non sit nec vtique, nec semper
faciẽdi, & accipiẽdi facultas, docemur, posse pa
riter, & debere sine sacramento spiritualiter
ad salutem etiam, & gloriam manducare. Est
enim singularis apud Deum pietatis & emo-
lumenti manducare per fidem assiduè, quod
quo-

quotidiè non poſsis per ſacramentum accipere, inquit enim Auguſtinus: Crede & manducaſti. Nam vt oſtenderet ſeruator, quomodo manducare ſpiritualiter poſſent ij quibus nõ ſemper eſſet accipiendi facultas ait. Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: quo qui veſcitur pane, viuet in æternum, & inquit ego ſum panis vitæ, qui de cœlo deſcendi, omnis qui venit ad me: non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet in perpetuum. Super Ioan. cap. 6. Ioan. 6.

Nulla hic accipiendi mentio fit, nullum ſumendi verbum, ſed oſtendit manducaturos omnes ex eo, & bibituros quicunque irent ad eum, & in eum charitate & iuſtitia crederent. Quomodo enim eſurire & ſitire deſinerent, niſi manducarent & biberẽt ſpiritualiter? ſpiritualem hanc manducandi & bibendi rationem & modum, qui eſt per fidem & charitatem, vnde etiam omnis fames & ſitis tollitur, & omnis gloria comparatur.

Non percipiũt turbæ ieiunæ prorſus & vacuæ, ab eo qui vita erat recedentes, nec ſacramentum ipſum, nec ſacramenti auctorem, audientes Dominum Ieſum, modo flagitantes atque poſcentes. Da ſemper nobis hunc panem, quia non diſsimilem eius quo fuerant in deſerto, per panum multiplicationem ſaturatæ arbitrabãtur, modo obijcientes eum Ioſephi filium eſſe, quodq́; patrem eius & matrem noſſent, quòd etiã audirent dicentem, deſcendi de cœlo.

Sed fideles discipuli omnia magistri & Domini sui verba, verba esse spiritus & vitæ sentientes non tantũ sacramentum, sed ipsum etiam sacramẽti auctorem Christum manducant, ipsiusque sanguinem bibunt. Ideò maiori constantia & fide persistentes exclamare non desistunt. Domine ad quem ibimus verba vitæ æternæ tu habes. Quod & propheta prædixit, Domine apud te est fons vitæ.

Ioan.6.

Quæsitũ. Sed quænam verba erant hæc vitæ æternæ? quæ Christus ipse habebat.

Solutio. Illa nimirum: qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Erant quidem hæc verba æternæ vitæ. At num etiam alia? alia sanè, sed nõdum prolata. Nempe hoc est corpus meum, hic est enim calix sanguinis mei.

Mat.26. Luc.22.

Mandante enim, ac præcipiente Christo, id ab omnibus accipiendum esse, & manducandum quod ad salutem pertinet omnium. Os confestim admouentes aperiunt, corpus accipiunt, & sacramentaliter simul & spiritualiter comedunt, sentientes multò id quidem manducari fœlicius mente, quàm ore, sed tunc manducari quàm felicissimè cum & ore manducatur & mente.

Cauillus hæreticorum. Sed hi rursus contendunt, metaphoricè omnino Christi verba interpretanda esse. Nam si iuxta orationis & verborum significationem interpreteris, illud aiunt, consequatur necesse est,

est, vt quod de Christi ascensu ad cœlos, de illius ad patris dexteram assessione falsum sit. Acto. 1. & 2.

Cùm enim omnes confiteamur Christum Iesum verò suo ac proprio assumpto corpore ascendisse cœlos, ipsumq́; nunc in vno cœlorum loco cõuersari, qui fieri potest, vt hoc ipsum corpus verè ac vt ita dicam realiter, sit & nobis communicetur. Nam & sua ipsius præsentia nobis carendum esse vsq; ad iudicij diẽ nobis ipse prædixit. Me inquit non semper habebitis, & die illo quo ipse in cœlos sublatus est, attestati sunt angeli, ipsum nõ venturum, nisi ad iudicij diem: ne igitur in dubium fides vocetur, necesse est verba illa, hoc est corpus meum, figuratè accipiamus. Mat. 26. Acto. 1.

His ita occurrimus, nihil omnino dogma de veritate ac realitate corporis Christi in sacramento, repugnare fidei de ipsius ascensu ac mansione in cœlis. Refutatio aduersariorum.

Nã alia ratione est in cœlo, in quo est localiter, & alio modo est in sacramẽto, in quo nõ localiter, sed sacramentaliter realiter est. Nam Christo non est idem esse secundum se, & esse sub hoc sacramẽto: quia propter hoc quia dicimus ipsum esse sub hoc sacramento, significatur quædam habitudo ipsius ad hoc sacramentum.

Hinc enim theologi scholastici, hiq́; saniores dixerũt, duobus modis aliquid Christi esse in hoc sacramento, vno modo ex vi sacramenti, alio modo ex reali concomitantia, ex

vi autem ſacramenti quantitas dimenſiua corporis Chriſti non eſt in hoc ſacramento, quia ex vi ſacramenti ſolum eſt in hoc ſacramento illud ad quod terminatur directè conuerſio. Conuerſio verò quæ in hoc ſacramẽto fit, directè terminatur ad ſubſtantiã corporis Chriſti, non autem ad dimẽſiones ipſius. Sed quoniam ſubſtantia corporis Chriſti realiter non denudatur à ſua quantitate, & ab alijs accidentibus, ideò talia ſunt in ſacramento non vi ſacramenti, ſed ex reali concomitantia.

Lib. aduerſus aduerſariũ legis & prophetarum capite 9.

Ad rem tandem deſcendentes cum Auguſtino fatemur, audiamus & intelligamus duo teſtamenta in duobus filijs Abrahami, duabuſq; mulieribus eius commixtione fœtatis, ſicut duos in vna carne Chriſtũ & eccleſiã iſtis nolentibus ſine vlla obſcœnitate cognoſcimus: ſicut mediatorem Dei & hominũ Chriſtum Ieſum carnem ſuam nobis manducandã bibendumq; ſanguinem dantem, fideli corde atq; ore ſuſcipimus.

Aduerſus Martyrẽ & Caluinum.

Hanc ſententiam ex tanto doctore quaſi ſuauiſsimum floſculum libare voluimus, quã propter natiuam verborum lucem aduerſarij nulla calliditate, nulla vafricie ad ſuum illud renouatum corporis abſentis ſymbolum detorquere valent, aut vllo inanis ſigni figuræq; vacuæ toxico inficere, ſanè ſpiritus ſancti dogma eſt, Chriſtum veram carnem ex virgine aſſumpſiſſe, & eandem à paſsione rediuiuam reſumpſiſſe in cœloſq; prouexiſſe.

Verùm

Verùm hic articulus nihil cum illo pugnat, eandem Christi carnem simul & in cœlis assidere patri præsentem, in cœlo localiter, & nobis sub sacraméto exhiberi præsentem ex Dei omnipotentia: quemadmodum nec pugnant ista, Christum verè Apostolis in cœna assidere, & eundem Apostolorum manibus edendum teneri Augustino dicente. Quod igitur metuis ne vera hac corporis Christi in sacramento præsentia, nostram resurrectionis atq; ascensionis spem reddamus fragilem atq; inanem & infirmam. Lib. epistolarum epist. 82.

Maximum hæretice infirmæ tuæ fidei argumentum. Nam quàm infirma & fragilis foret spes ipsa, nisi hæc ipsa nostra caro in Christo verè suscitata, & in regnum cœlorum ingressa foret, quis vnquam hoc negat? Quis nostrũ ingressam in cœlis abnuit, aut verè à mortuis resuscitatam, nisi qui cum iudæis mentiuntur à Christo suffuratam? Aduersus Caluinũ.

Nec iccirco in cœlos Christus nõ est ingressus quòd assiduè christianis sui corporis verè præsentis in terra copiam facit: quemadmodũ sicuti nec iccirco verè carnem assumpsit, quòd eandem in cœna accubantem discipulorũ manibus distribuit edendam, vt apposité concludit Augustinus. Noli inquit dubitare, ibi núc esse hominem Christum, vnde venturus est: & subdit: & sic venturus est, vt ire visus est in cœlum, & eadem visibili forma atque substantia, cui profectò immortalitatem dedit non Ad Dardanum lib. epistolarum epistola 67.

naturam abstulit, secundum hanc formã non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique.

Caluinus Isto Augustini loco freti, quidam dicunt Augustinum pro ipsis stare.

Refutatio Atq; hoc nihil est, quod veritatem corporis in Eucharistia tollat, nihil quod veritatẽ corporis ibi neget, eos enim detestatur, qui corpori Christi diuinas deitatis proprietates somniabant communicatas, ita vt vbique esset præsens, quemadmodum est Christi diuinitas, vt Deus est, Christ⁹ est vbiq; diffusus, corpus localiter in cœlo est, in sacramento aũt est corpus omnipotentia verbi sacramentaliter, & hoc corporis veritatem non tollit neq; corporis proprietates remouet.

Acto.1. A cœlo enim vbi est, quemadmodum vidimus ascendentem ita veniet. Nec dimensiones corporis gloria tamen præditi ab eo sunt alienæ, quia corpus locatum est in loco secundum modum quantitatis dimensiuæ.

Tamen in sacramento non est sicut in loco, sed secundum modum substantiæ. Si ordinem naturæ quæris in eo, qui præter naturæ ordinem ex sancta virgine natus est erras, non enim esset fides.

Quæ vt clarius intelligantur, dicam apertius, & animaduertendum censeo primum, ꝙ

quan-

quando verbum caro factum est, ita cum carne cõiunctum est, vt quemadmodum ex anima & corpore fit homo: ita ex diuinitate & humanitate fiat vnus Christus, atque adeò verbũ nostræ vt ita dicam humanitati agglutinauit, vt eam nunquam deseruerit, quin potius omnia illi sua bona communicauerit, ita vt corpus Christi, ꝙ nostra est caro, non modo glorificatum, sed etiam deificatum à patribus sit appellatũ. Hoc est hypostaticè diuinitati coniunctum, corporis tamen ratione seruata. Hoc tamen priuilegium non est omnium corporum, vt insulsè quidam balatrant, sed solius corporis Christi, qui Christus solus habet & posidet plenitudinem diuinitatis corporaliter, de isto solum dictum est quod sedeat ad dexteras virtutis Dei, in gloria patris, in cœlis. Ioan.1. Aduersus Caluinũ. Col. 2.

Beatorum verò corpora de illius plenitudine accipiunt, & ideò differunt corpora beatorum à corpore Christi, licet enim corpora beatorum habeant gloriam, habebunt tamen corpora glorificata configurata corpori claritatis eius, non tamen assumpta penitus ad naturam diuinam in vnitatem personæ.

Ideò indiuisibiliter & illocaliter est in sacramento, localiter in cœlo, & sacramentaliter realiter nobis cùm vsq; ad seculi consummationem, cùm in sua propria forma & maiestate veniet ad iudicium. Ideò Seruator inquit Mat. 25.

Mat.26. hoc eſt corpus meum, non ſtatim pariter ſubiungit, verbum meum, anima mea, diuinitas mea?

Poſtulabat nimirum diuinæ ſapientiæ ratio atque conſilium, vt talia dum ſe ipſum nobis offerret, & largiretur, tacerentur, & illud ſolum, nil aliud diceretur. Nam dicens corpus & continuò inferens meum, quomodo clarius potuit, & apertius demonſtrari, illud ipsũ verum eſſe corpus, quod verbum aſſumpſiſſet, quod ſpiritus animaret, quod omnis plenitudo diuinitatis inhabitaret? Nam meum, illa prorſus omnia ſignificat, & oſtendit, & dicens corpus, & tacens verbum, tacens animam, tacens diuinitatem, (Cùm meum prorſus illa omnia demonſtret, & oſtendat) non modò dicit, quod magis ad cibum attineat, ſed quod vehementius conuiuas ad manducandũ commoueat, & eoſdem etiam, ab omni alia cogitatione auertens, ad myſterium tantum, in quo omnis vita ineſt, & contineatur ſalutarius conuertat.

Solutio alterius partis rationum aduerſariorum. Quantum autem ad illud attinet, non me ſemper habebitis, alio dictum eſt, quòd non ſemper ipſum habituri eſſemus in ea forma ac naturali ſpecie, qua vixit in terris, quaq́; eſt in cœlis & qua tandem veniet ad exercẽdum iudicium. Nam ſi in ſua naturali mortali natura daretur, vel ipſamet repugnante natura ſumi non poſſet Chriſtus. Tanto minus etiam ſi in gloria ſeſe oſtenderet, & appareret, ſumi potuiſ-

tuiſſet, ſi in pane, & calice, atque in cœlo, gloria fulgentem ſeſe demonſtraret Chriſtus, & oſtenderet, cùm adeò infirma ſit natura noſtra, & imbecillis, vt nec oculus videre, nec auris audire, nec in cor hominis aſcendere poſſint, quæ præparauit Deus dilgẽtibus ſe: quonam modo creatorem omniũ & Dominum, ſi ſe in maieſtate illa ſua tanta, & gloria oſtenderet, oculis aſpicere, ne dum ſumere potuiſſet, cùm ne ad punctum quidẽ temporis eiuſdem gloriam, quin extra ſe in monte tam mirabiliter in terram caderent, ferre potuerunt Apoſtoli. Mat.17.

Ideò Auguſtinus non dicit veritatem corporis non fuiſſe nobis ſub ſacramento datam, ſed ſolum non fuiſſe datum corpus ſub naturali forma, & ſanguis ſub propria ſpecie naturali, ideò ſub ænigmate & inuolucro panis & vini datur. Refutatio Caluini.

Et quamuis Deus & homo Chriſtus omnia occupet atque omnia impleat. Aliter tamẽ in cœlo, aliter eſt in terris. In cœlo in naturali ac propria ſua naturali forma reſidet, in terris autẽ ſub aliena forma panis & vini delitẽſcit.

Hoc enim non latuit vetuſtiſsimum illum patrem, & Polycarpi Martyris & Ioannis euangeliſtæ auditorẽ, Irenęum, inquit enim: Quomodo autem eis conſtabit, panem in quo gratiæ actæ ſint, eum eſſe corpus Domini ſui, & calicem ſanguinẽ eius, & poſt aliqua verba ſubdit. Noſtra autem conſtans eſt ſententia Lib.4.aduerſus Valentinum & ſimiles cap.34.

Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus confirmat ſententiam noſtram. Offerimus enim ei, quæ ſunt eius, congruenter communicationem & vnitatem prædicantes carnis & ſpiritus.

Quemadmodum enim qui eſt è terra panis percipiens vocationẽ Dei, iam nõ communis panis eſt, ſed euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti: ſic corpora noſtra euchariſtiam percipientia, iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.

Panis enim & calicis myſteria mirabilia facta nimis, quemadmodum quidem credi, vt mereamur, oportet, ita videri, vt accipere poſſimus. Nõ licet, quomodo enim, quoquo modo ſeſe, vel in mortali ſua natura, vel in gloria apparens vnquam demonſtret, ſumi à nobis vnquam potuiſſet?

In ſermone ad populum de ſacramento.

Quæ vt clarius intelligãtur, audiamus Auguſtinum. Inquit enim hoc quod videtis in altari Dei, iam tranſacta nocte vidiſtis, ſed quid eſſet, quid ſibi vellet, quàm magnæ rei ſacramentum contineret, nondum audiſtis. Quod ergo videtis, vt ſuprà dictum eſt, panis eſt, & calix, quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti, calix eſt ſanguis Chriſti.

In homil. de corpore & ſanguine domini. Ioan. 6.

Hoc enim illud eſt quòd Euſebius Cæſarienſis non eruditè minus quàm orthodoxè animaduertit, inquit enim poſt multa. Vnde meritò cœleſtis confirmat auctoritas, quia caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt po-

potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum: quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam inuisibilis sacerdos, visibiles creaturas in substantiã corporis & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, & sanctificatione etiam repetita. Accipite & bibite, hic est sanguis meus. Ergo ad nutum præcipientis Domini repentè ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum. Pari potentia in spiritualibus sacramentis verbi præcipit virtus, & Regi seruit effectus. Qua re nil clarius & apertius dici poterat. Mat. 26. Luc. 22.

Panis enim & calicis mysteria mirabilia Dei, & veritatis testimonia, & credibilia facta nimis, quẽadmodum quidẽ credi, vt mereamur oportet, ita videri, vt accipere possimus: non licet, satis est igitur credere, quod laudamus, & certa spe futuræ gloriæ sumere laudando quod credimus.

Etsi figura panis & vini videatur: tamen nil aliud quàm caro Christi & sanguis credenda sunt. Nec enim prius accipiendum est, vt credamus, sed prius credendum, vt dignè accipere mereamur, oculis enim videre, quàm sit excelsa, & magnifica Christi caro: in hoc seculo non datur, sed in illud tempus reseruatur, cùm eundem illum ipsum Christum Dominum Deum nostrum, nõ sub panis inuolucro

in tanto mysterio per fidem cōtemplabimur, sed in cœlo, vbi sedes eius est: talem omnino, qualis est, coram intuebimur.

Cauillus hæreticorum.

Sed omnino perfidis & incredulis hoc impossibile videtur, qui panem conterūt, panem gustant, panem vident, vident vinum, odorāt vinum, quomodo ergo panis inuōlucrū corpus Christi tegit, & vini species sanguinis velat substantiam.

Refutatio aduersariorum ex hom. eadem.

Sed his orthodoxè Eusebius Cæsariensis occurrit, inquit enim. Quanta itaque & quàm celebranda officia, vis diuinæ benedictionis operatur, & quomodo tibi nouum & impossibile esse non debeat, quod in Christum terrena & mortalia commutantur? teipsum qui iam in Christo es renatus interroga: dum alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutis via intrinsecus mortuus exulabas: subitò initiatus Christi legibus & salutaribus mysterijs innouatus, in corpus ecclesiæ nō viuendo, sed credendo transisti. Et de filio perditionis, adoptiuus Dei fieri occulta puritate meruisti: in mensura visibili permanens, maior factus es te ipso inuisibiliter, sine quantitatis augmento, cùm idem atque ipse esses, multò alter fieri fide processibus meruisti. In exteriore nihil additum est: & totum in interiore mutatum: ac si homo Christi filius effectus & Christus in hominis mente transformatus esset.

Quæ ita clarius declaro, qui enim Dei verbum, cuius corpus & sanguinē sub inuolucro

panis,

panis, & vini ſpecie, tam mirabiliter ſumimus: in illa hominis forma, quam aſſumpſit ex virgine videbant: qui aliter vidêre, quàm per fidem meruerunt. Non enim omnibus, quibus humanitas, & caro ipſa Chriſti, hominis ex virgine facti apparebat: hi omnes, quod intus latens manebat, videbant. Sed ij tantum, qui ex Deo erant, nam, qui non erant ex Deo, & fidei lumine, ob impietatem & ſuperbiam carebant: Chriſtum hominem ſolum cernebãt, ſed quod intus latebat: videre non poterant, ij inquam ſoli, qui ex Deo erant: ij verbum ipſum ex ore ipſius audiebant, & audiendo credebant, credendo non Chriſtum ſolum hominem, ſed & hominem & Deum pariter intus cernebant, apud quem non eſt impoſsibile omne verbum, ſequebantur & adorabant. Luc.1. Hoc totum orthodoxè Cæſarienſis inſinuauit, quũ ſubdit: Sicut ergo ſine corporali ſenſu præterita vilitate depoſita ſubitò nouã indutus es dignitatem, & ſicut hoc, quod in te Deus læſa curauit, infecta diluit, maculata detorſit, non oculis, ſed ſenſibus ſunt credita: ita & cùm reuerendũ altare cibis ſatiandus aſcendis, ſacrum Dei tui corpus & ſanguinem fide reſpice: honore mirare: mente continge: cordis manu ſuſcipe: & maximè hauſtu interiori aſſume.

En liquidò conſtat eſſe ibi, non panem tantum, non vinum tantum, ſed corpus & ſanguinem Dei noſtri.

Quæ

Quæ omnia vt intelligantur, dicam clarius. Quemadmodum igitur diuinitas Christi tam mirabiliter latens, sub ipso homine Christo, qui Dei erat, hominisq; filius, vna persona, verus homo, & verus Deus: videri nisi per fidem, non poterat, ita in hoc tantæ gloriæ sacrificio carnem eius, & sanguinem, sub panis & vini specie, offerri latenter nobis oportuit, & dari, nosq; per fidem, & veritatis eius vocé (qui ipsissima est veritas) ac testimonium ad illud sumendnm, vt sumi posset, duci necesse fuit, & attrahi.

Hinc apposité Eusebius mannæ & eucharistiæ symbolum patefecit, & mysterium declarauit. Quod si illius legis manna quod legitur: Pluit illis manna vt ederent. Hoc vnicuique sapiebat quod desiderijs concupiscebat: aliud erat quod sumebatur: aliud quod videbatur: inuisibiliter sapor ille in singulorum sensibus formabatur. At ergo illud legis manna cœlitus illapsum, per multimodas suauitates naturæ suæ meritum, & generis sui excedebat intuitum, & cùm creaturam suam dispensatio largitori multiplici diuersitate condiret, præbebat gustus quod ignorabat aspectus, iuxta percipientis desiderium, escæ illius nouitas & dignitas nascebatur. Vnumquemque varijs & alienis saporibus reficiebat, mellifluum pluuiæ illius donum, & multiplex sicci imbris obsequium.

Exo.16.

Quæ

Quæ cùm ita ſint, quod illic auiditas faciebat, hic fides facit. Et ſi in corpore cibus ſapiat, in corpore Deus credulitaté perficiat, ita legimus: Accedit homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Ideò quòd ibi delectatio obtinebat in faucibus, hic benedictio operatur in ſenſibus.

Ad cognoſcendum & percipiendum ſacrificium veri corpòris, ipſe te robur & potentia conſecrantis inuitat. Appellat enim Cæſarienſis ſacrificium veri corporis non panis, vt volunt Moderni ipſam Seruatoris menſam, in qua ob ipſius ſingularem & immēſam charitatem corpore ſimul & ſanguine vnigeniti filij ſui tam mirabiliter nos paſcit & vegetat & nutrit. Aduerſus Caluinū.

Hinc cùm Euangeliſta Ioannes dixiſſet, Deum nemo vidit vnquàm, quomòdo videri poſſet non tacuit, inferens, vnigenitus eius, qui eſt in ſinu patris ipſe enarrabit. Enarrauit quidem verba vitæ vnigenitus, qui verbum erat apud patrem, enarrauit verba ſalutis & vitæ, ac præcipuè in tantæ ſalutis & vitæ ſacrificio auribus intonuit. Hoc eſt corpus meum: qui intonuerat, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Ioan.1. Mat.26. Ioan.6.

Conſtituunt enim panis inuolucrū & vini ſpecies, vmbram quandam ſpiritalem, qua anima fidelis non perturbata, ſed refocillata dulciſsimè canit, ſub vmbra illius, quem deſi- Pſal.1.

deſiderabam, ſedi, ſedi, inquit, non ſub aſpectu, ſed ſub vmbra.

Terruiſſet enim & perſtrinxiſſet tantus Dei aſpectus in myſterio tanto imbecilles oculos noſtros, nimiumq́; perturbaſſet.

Quare non minus quidem nobis neceſſariũ fuit ſpeciei panis tegmen, quàm virgini matri vmbraculum humanitatis filij Dei: vt quemadmodum illa non dubitaret verbum patris concipere: ita nos corpus filij eius non vereremur ſub tanto myſterio, ſacrificioq́ue accipere.

Heb. 8. Erat enim antea ſecundum Aaronis Iudæorum ſacrificium in victimis pecorum, & hoc in myſterio. Nondum nanque erat ſacrificium corporis & ſanguinis Domini: quod fideles norunt, & qui euangeliũ legunt. Quod ſacrificiũ nunc diffuſum eſt in toto orbe terrarum per eum, de quo ſcriptum eſt. Sed ex vi indiſſolubilis vitæ. Sic enim teſtatur, tu es ſacerdos in æternum ad rationem Melchiſedechi. Et hoc de domino Ieſu Chriſto dictum eſt: quia voluit eſſe ſalutem noſtram, inquit Auguſtinus, in corpore & ſanguine ſuo, quæ nobis commendauit de humilitate ſua.

Pſal. 109. Heb. 7.

In ſermone de corpore & ſanguine Domini. Aduerſus Martyrẽ & Caluinum.

Niſi enim eſſet humilis non manducaretur neque biberetur, reſpice altitudinem ipſius. In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ecce cibus ſempiternus, ſed manducant angeli, manducant ſupernæ virtutes, manducãt cœleſtes ſpiritus, man-

manducant & ſaginantur, & integrum manet, quod eos ſatiat, & lætificat.

Quis autem homo peruenire poſſet ad illum cibum, vnde cor idoneum illi cibo? oportebat ergo vt mēſa illa lacteſceret, vt ad paruulos proueniret. Vnde fit cibus lac? vnde cibus in lac conuertitur, niſi per carnē traijciatur? Nam mater hoc facit, quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia infans eſt minus idoneus, qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat, & per humilitatem mammillæ in ſuccum lactis de ipſo pane paſcit infantem. Quomodo ergo de ipſo pane paſcit nos ſapientia Dei? quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Concinna ſimilitudo. Ioan. 1.

Videte itaq; humilitatem, quia panem cœli dedit eis: panem angelorum mādu cauit homo, id eſt, verbum iſtud quo paſcuntur angeli ſempiternum, quod eſt æquale patri, manducauit homo: qui cum in forma Dei foret, non rapinæ ſuam habuit cum Deo æqualitatem. Saginantur illo angeli, ſed ſemetipſum eò vſque ad nihilum redegit, vt panem angelorū manducaret homo, vt ſumpta ſeruili forma, factus ſit hominum ſimilis, & figura repertus, vt homó, ſeq; adeò deiecit, vt obediens fuerit vſque ad mortem, & quidem mortem crucis: vt iam de cruce commendaretur, caro & ſanguis Domini, nouum ſacrificium, quando loquebatur dominus noſter Ieſus Chriſtus de corpore ſuo. Niſi (inquit) mādu caueritis car- Pſal. 77. Phil. 2. Ioan. 6.

nem filij hominis,& biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Quàm dulcis, ſuauis & vitæ plenus, talis & tantus vmbræ fructus, cuius virtute Chriſtus
Pſal.100. fit eorum Deus, & ipſi oues paſcuæ eius, ingredientes ad diuinitatem, egredientes ad humanitatem, & vbiq; paſcua inuenientes, ac talia quidem, vt omnis gloriæ plenitudine refertiſsima ſint & gaudio.

Quid enim ab his amplius deſiderari poſſit, quos Chriſtus diuinitatis conſors, & corporis tam admirabilis, & inexplicabilis conſortij participes facit? Atque ita quidem facit, vt experiantur quod de tanto miſericordiæ nomine Pſaltes cecinerat. Oleum effuſum nomen tuum.

Verè nomen ſicut oleum, & quemadmodum oleum effuſum, nihil enim ſibi facit tanta miſericordia dantis, Accipite & manducate
Aduerſus Caluinũ. corpus meum, non mei corporis typum, non abſentis corporis ſymbolum, ſed corpus meũ verum quod pro vobis imolabitur & comedite. Corpus quod à morte liberat, quod à peccato, quod à ſordibus, & iniquitatibus omnibus abluit.

O dulce verbum, Accipite omnes & pro vobis: ô ſalutare mandatum compelle eos: ô iucundiſsimam vocem, introduc omnes: omnes inquam ad nuptias Agni, ad nuptias vitæ, ad nuptias fœlicitatis, gloriæ.

Accipite corpus meum, non laruam, non typum,

typum, non figuram, sed carnem meam, meũ corpus in remisſionem peccatorum. Dixit, manducate, nõ ſpectate, & videte, ſed manducate. Corpus meum quo nihil ſalubrius, nihil vtilius accipi poteſt, in quo patres noſtri Apoſtoli erant perſeuerantes in ipſius fractione, ideò Chryſoſtomus inquit: Menſa regalis eſt propoſita, angeli menſæ miniſtrãtes, ipſe Rex adeſt, & tu aſtas oſcitans, Accipite & comedite hoc eſt corpus meum. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, non morietur in æternum. Acto. 2. Super Ioan. cap. 6. Ioan. 6.

Hæc autem vita per ſolam participationem corporis & ſanguinis Domini percipitur. Teſtatur hoc Dominus. Sicut ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me: quaſi diceret, illam vitam viuet, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, quam ego viuo: quia pater in me eſt. Ioan. 6.

Quemadmodum enim & oleaſter ſuæ oliuæ inſitus, eodem vitali ſucco alitur, quo ipſa oliua, cui inſitus eſt, ita per manducationem carnis Chriſti inſerimur, vt ipſe in nobis, & nos maneamus in illo. Qui itaque manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.

Hinc Ioãnes Damaſcenꝰ appellat hoc ſacramentum participationem, quia per ipſum Ieſu diuinitatem participamus. Quænam latitudo, quæ profunditas, quæ ſublimitas, aut In ſermone de lapſis & inter de cœna.

quæ longitudo excogitari poſſet, quę cum hac donatione comparanda eſſet.

Aduerſus Caluinū. Coniungimur autem non voluntate tantum & fide, ſed manducatione ipſius carnis, in qua habitat plenitudo diuinitatis corporaliter: ideò ſe ipſum nobis commiſcet, & non fide tantum, verùm & ipſa re nos ſuum efficit corpus, vt tandem æternæ vitæ nos cohæredes efficiat.

Eorum enim omnium quæ in ſuperioribus diximus, ſumma eſt hęc, manifeſtaſſe multa quæ diuinæ Chriſti naturæ, & humanæ aſſumptæ in tempore proprietates, attributa, & rationes conueniunt: Nunc verò Baſilij illius Magni regulam ſectandam propono, & illam quam hac vna in re præſcribit, ſequar. Ait enim.

Aduerſus Eunomiū de ſpiritu ſancto. Quandoquidem nominum, & verborum, & rerum in conſuetudine vſum, non ſimpliciter & prout fortuito contingit accipi, video in diuina ſcriptura: & à Deo & à Chriſto ipſius & à ſanctis prophetis, Euangeliſtis ac Apoſtolis: Sed iuxta examinationē in ſancto ſpiritu, ad ſcopum piæ intelligentiæ, atque hoc non ex toto, ſed in parte quæ rei commoda ſit atque conſtans, in ea parte, quantum ſingula contulerint ad propoſitam ſanam doctrinam, vt & piè ſentiamus, & mentem ad conſiderationem iudiciorum & dogmatum pietatis deducamus, neceſſe eſt etiam nos expenſè & cum obſeruantia ſingulis dictis intendere, & iuxta ſco-

ſcopum ſupernæ vocationis ſententiam elicere. Pia, erudita & ab omni parte circumſpecta regula qua iubet nomina, verba, & acta ſacris libris contenta, non ad dogmatum fidei orthodoxæ & œcumenicæ ruinam, verùm ædificationem interpretari, vt ad ipſam pietatem magis ac magis animemur.

Hanc regulam non ſeruarunt hæretici, nec ſeruant quinimò omnia ad orthodoxæ fidei ruinam interpretantur & de impietate labuntur in impietatem, ita vt Abyſſus Abyſſum inuocet. Vt autem veram nominum intelligentiam & rationem ſimul aſſequi valeamus, id in primis animaduertendum eſt. Quod quemadmodum Deus, & Chriſtus in ſacris literis, & apud patres varijs diuerſiſq; nominibus appellati ſunt, ita etiam & ſacramẽtum iſtud de quo agimus pluribus nominibus appellatum eſt, vt etiam alio dictum eſt. Error hæreticorũ vniuerſalis.

Quamuis autem Deus plurima nomina habeat, quemadmodum & Chriſtus, non tamen plurimæ ſunt vſiæ, eſſentiæ, naturæ & realitates Dei, & Chriſti, vt gentes ſuo ſpiritu obcæcatæ, & hæretici diabolico ſpiritu deluſi ſenſerunt. Sed vna tantum Dei eſt natura, & vſia, & realitas, vt pij omnes ſpiritu ſancto inſpirante faſsi ſunt.

A ſimili quamuis hoc ſacramentum & alia pluribus nominibus appellentur, tamen illorum vnica dumtaxat eſt eſſentia, natura, & realitas, non autem tot, quot nomina habent,

vt volunt Moderni quidam hæretici.

Nec tamen ſilentio prætereundũ eſt, quod quemadmodũ Dei & Chriſti natura & eſſentia vna eſt:ita etiam vnico nomine exprimitur & declaratur, & hoc eſt Dei, & Chriſti nomen proprium. Cæterà verò nomina pro agnominibus cenſenda ſunt, atq; habenda: Quibus nó vſia Dei, & Chriſti declaratur: Sed potius quædam illorum proprietates deſcribuntur.

Ita & à ſimili ſacramenta cum vnicam naturam & eſſentiam habeãt, vnico nomine exprimuntur, illudq́; nomen proprium ſacramentorum dicitur, cætera verò nomina quæcunq; ſint illa proprietates quaſdã ſacramentorum declarabunt, potius quàm illorum vſiam, naturam, & realitatem indicabunt.

Nunc autem videndum eſt quàm Euchariſtiæ ſacramentum plurima habeat nomina, quodnam ſit illud nomen quod genuinum, germanum, & proprium eſt. Hoc enim, ſi inueniendi facultas dabitur, naturam, vſiam, & realitatem illius optimè ab ipſa nominis ethymologia cognoſcemus. Nam inquit Baſilius Magnus, obſeruabimus quòd quibus de induſtria & ex conſilio imponuntur nomina, his ſubiectæ naturæ iudicationem habent. Cùm ergo Deus, vel filius, vel angelus, vel propheta ſpiritu Dei afflatus alicui nomen imponit, illud pro natura ipſius rei facit.

In ipſius lyturgia.

Nomen itaque proprium naturam, eſſentiã & realitatem Dei exprimens, quod in ipſa Dei reue-

reuelatione, vel cōſtitutione, illud erit, quod ipſi rei propriè imponitur.

Hinc dicimus nomen proprium ipſius Dei naturam & vſiam illius declarãs, qua cum aliqua rerum à ſe creatarum non communicat, eſſe ipſum nomē Dei verum quod TETRAGRAMMATON appellatur. Quod vetuſtiſsimi Rabbini propterea ſeparatum appellarũt.

Hoc verò nomen ſibi impoſuit Deus, cùm ſe primum per Moſen Iſraeli cognoſcendum præbuit. Tunc enim primum nomen ſuũ reuelauit. Propterea nomina alia, vtpote Deus, fortis, iudex, iuſtus, patiens, & miſericors, agnominationes potius ſunt, non naturam, ſed ipſius proprietates quaſdam declarantes. Exo.3.

Nomen verò Chriſti illud proprium eſſe certò ſcimus, quod illi ab angelo impoſitum eſt Iheſus. Eo enim nomine hypoſtaſis naturę diuinæ & humanæ declaratur. Sonat enim æqualis Deo, vel qui Deus. Luc.1.

Alia autem nomina, vt Chriſtus, Emanuel, Angelus, Conſiliarius, Gigas, pater futuri ſeculi, princeps pacis, leo, petra, agnus, illius attributa potius prædicant, quàm naturam demonſtrant.

Nomen inſuper proprium hominis nō eſt aliud quàm iſtud quod ab ipſo Deo illi impoſitum eſt, nempe Adamus quod terram ſonat, vel humũ vnde homo, ex terra enim (vt ait ſcriptura) aſſumptus eſt homo. Gen.2.

Cætera verò nomina vt ais, Geuer, Aenos,

& ſimilia nō ſunt propria nomina, ſed agnomina potius, non naturam, ſed quaſdam hominis primi proprietates continentia.

Gen.2. Ipſe autem Adamus Heuæ à propria natura nomē impoſuit dicens, vocabitur os de oſſibus meis, & caro de carne mea, id eſt virago, quia è viro aſſumpta eſt.

Animantibus etiam ſingulis pro cuiuſlibet proprietate & natura nomina impoſuit, & nomen quod tunc illis eſt impoſitum, ipſorū proprium nomen eſt.

Gen.13.& 32. Ita etiam nomina Abrahamus, & Iſrael à Deo impoſita virtutis proprietatem declarāt, & ipſis facta ſunt propria. Inſuper nomē proprium Simonis eſt Petrus, ita à fidei ſoliditate appellatus à Chriſto.

Nomina itaq; propria ea erunt propriamque naturam quā ſignificant declarantia, quæ vel in reuelatione, vel in conſtitutione ipſius rei imponuntur: Quod quùm ita, iam non admodum nobis difficile erit inuenire, quodnā ſit nomen proprium ſacramenti, de quo agimus, & illo inuento, clarius nobis ipſa luce patebit, quænam ſit vera & realis ipſius natura & eſſentia. Nam ſi vellet Deus à ſuo inſtituto diſcedere (quod abſit) illi nomen naturam ipſius ſacramenti realem exprimens imponet, quod ſi non faceret, nos falleret, qui fallere neſcit, cùm aliud nomine nobis protenderet, aliud verò re ipſa exhiberet, quòd ſi in homine mendacium eſt reprehenſibile, quāto magis

gis in ipſa veritate eſſet pernicioſum? ſed abſit hoc à Dei filio, in cuius ore dolus non eſt inuentus. Iſa 53.

Nomen itaque quo primum hoc ſacramentum eſt appellatum ab ipſo Dei filio: Non eſt neque panis, neque vinum, teſtamentum, eucharistia, ſacramentum, myſterium, communio, agapis, ſynaxis, metalepſis, communio, cœna & viaticum. Sed hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus. Paraturus itaque magiſter, & pater omnium Chriſtus Deus noſter, quod patri ſuo promiſerat, inquiens: Voluntariè ſacrificabo tibi, cùm ſatis in tanto myſterio, ſuperq; fuiſſet, ſi accipite tantummodo dixiſſet, & manducate, tamen vt tantam, tamque ſingularem, & admirabilem ſuã erga nos charitatem, & oblatæ rei vim, atque præſtantiam ſignificatius aperiret, & oſtenderet: non ſolum accipite, & comedite, ſed confeſtim etiam infert, & omnes, hoc eſt non modo tu Iacobe, cognomento iuſte, nõ modo vos Zebedei tonitrui filij, non modo tu Petre, qui vna cum eis gloriam meam in monte vidiſti, & tu Andrea, quem dilexi in odorem ſuauitatis, & tu Philippe, qui tam citò credidiſti quæ Moſes & Prophetæ de me dixêre, ſed omnes. Hoc eſt corpus meum.

Aduerſus Martyrẽ & Caluinum.

Mat 26.

Mat. 17.

Hoc ergo nomen erit, nomen proprium huius ſacramenti, & ab hoc nomine diſcendũ eſt quænam ſit iſtius vera & realis natura, quæ nihil aliud eſſe poteſt, quàm ipſum verum

Christi corpus & sanguis. Ab alijs autem nominibus quæ suprà descripsimus, non est inquirenda realitas & natura huius sacramenti. Ea enim vnico illo sibi à Christo imposito nomine declaratur. Sed potius ab istis proprietates, attributa, & effectus quidam declarandi sunt.

Ea verò deductio ita fieri debet, vt nō modò non destruatur veritas naturæ, & vsia rei, sed potius vt asseueretur & stabiliatur.

Nomina igitur panis, vel vinum, memoria, eucharistia, sacramentum, & similia, nō è medio veritatem & realitatem tollunt corporis Christi in sacramento: Nec nomen vini & calicis veritatem sanguinis sub ipso vino, sed potius illud confirmat & stabilit, quod nos re vera comperiemus: Si præsertim hæc omnia iuxta D. Basilij Magni præscriptam nobis regulam ad intelligentiam dogmatum pietatis adduxerimus. Ea enim etsi plurima sint, vnam tamen veritatem annunciant, & in illam intendunt tanquam in suum ipsorum vnicum scopum.

Aduersus Martyrē & Caluinum.

Hæc verò veritas tot & tantos profert fœcundos, & fœlices fructus, vt nec permultis nominibus, verùm etiam si immensis nominaretur exprimi nulla ratione posset.

Hæc autem vna ratio est, qua Dei nomina, & Christi & sacramentorum apud sacros patres multiplicata fuerint. Ita enim multiplex Dei sapientia, Christi charitas, & sacramentorum

torum virtus nobis innoteſcunt.

Iam enim abundè in alijs Theſauris realitatem corporis & ſanguinis Chriſti puto demõſtratam, iuxta præſcriptum ingenij hominis. Quùm in hoc ſacramento cum ipſo ad tertium cœlum rapto Apoſtolo ſit acclamandum. O altam ſapientiæ cognitioniſque Dei Rom.11.
opulentiam, quàm penitus recondita eius iudicia, quàm abſtruſæ ſunt rationes. Tamen ſolum hoc agam, intẽdam eandem demonſtrare veritatem ab alijs nominibus tanti ſacramenti.

Et ante omnia animaduertendum eſt, ea dumtaxat, quæ duplici natura cõſtant, duplex etiam ſortiri nomen, vt altera ab altera ſecerni & cognoſci poſsit.

Verùm quoniam ob ipſam vnionẽ & coniunctionem naturarum quædam affinitas inter ipſas contrahitur, ſibi etiam ipſa propria nomina mutuantur, vt Chriſtus: Conſtat ex natura diuina & humana, propterea Deus appellatur & homo. Quia verò in coniunctione naturæ humanæ ad diuinã, facta eſt vna Chriſti perſona, ex duabus naturis conſtãs, hinc fit ꝙ Deus etiam homo dicatur, & homo Deus: ſalua tamẽ vtriuſq; naturæ proprietate, vt permixtio vitetur, & confuſio tollatur.

Ipſe etiã homo cum ſpiritu & carne conſtet, & ſpiritalem illum & carnalem appellamus. Et ob vnionem animæ ad carnem quandoque ſecundum ſpiritum appellatur carnalis, & ſecun-

ſecundum carnem ſpiritualis. Integra tamen ſpiritus & carnis proprietate & natura manente.

Hoc verò quod de Chriſto dicimus, & de homine, & de hoc Euchariſtiæ ſacramẽto dicere poſſumus. Conſtat enim ex re ſpiritali & inuiſibili, quę eſt corpus Chriſti, & ex ipſo viſibili & tractabili ſigno panis & vini, vt orthodoxè Irenæus aduertit, & ſi vnum eorum defuerit, verum ſacramentum eſſe non poterit.

Lib. 4. & cap. 34.

Quemadmodum nec Chriſtus verus eſt Chriſtus, ſi ab eo vel diuinitas, vel humanitas defuerit, nec homo appellari poteſt, ſi vel corpore vel anima caruerit: Sed & Chriſtus ſi illi deerit humanitas tantum Deus appellabitur, ſi verò diuinitas, ſolum homo dicetur, & ipſe homo ſi anima caruerit erit cadauer, ſi autem corpore erit priuatus, anima dicetur. Ita & ſacramentum ſi caruerit re ſua inuiſibili, ſignum ſimplex erit, ſi verò ſigno, res tantum erit. Ad verum igitur germanumq; conficiendum ſacramentum neceſſe eſt, vt res cum ſuo ſigno cõiungatur. Cùm ergo talem germanitatem habeat res cum ſuo ſigno, & ſignũ cum ſua re in hoc ſacramento, ibi etiam inuicem propria nomina accommodant. Ita vt panis & vinum appellentur corpus & ſanguis Domini; quia ſub illorum ſpecie corpus verum Domini latet, quemadmodum in corpore latet anima, & ſub humanitate abdita eſt diuinitas

Concinna ſimilitudo.

nitas filij Dei, & rursus corpus & sanguis Christi, panis & vinum dicatur.

Istæ autem appellationes quamuis impropriæ sint, veræ tamen sunt, vel ob ipsam affinitatem, vel propter mysticam significationem.

Nullus enim adeò rudis est, qui nesciat panem & vinum non esse corpus & sanguinem Domini, nec etiam corpus & sanguinem Domini panem & vinũ esse. Sed affinitas & communio quam habent ad inuicem, & ipsa mystica significatio facit, vt etiam nomina sint communia. Propterea & corpus Christi dicitur panis, & panis corpus Christi. Similiter & sanguis vinum, & vinum sanguis appellatur. Hoc est quod Augustinus dicit. Si sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarũ sunt sacramenta, non haberent vtique sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine, plerunque etiam ipsarum rerum quarum sunt sacramenta similitudinem accipiunt. In epistola ad Bonifacium.

Appellatur igitur in primis corpus Christi, quod traditum fuit, & sanguis qui effusus est in remissionem peccatorum nostrorum: quia re vera idipsum corpus & sanguinem diuina potestate continet, & communicat secundum suam ipsius substantiam. Secundum quã iam non est amplius neque panis, neque vinũ, sed corpus & sanguis Domini. Et hoc est tantum vnicum propriũ nomen huius sacramenti vsiam & natuıam exprimens.

Tamen corpus & ſanguis Domini panis etiam & vinum appellatur, ſed impropriè, quémadmodum hominem terram dicere ſolemus, qui è terra eſt, cùm tamen non ſit terra ſed caro: ita corpus Chriſti, & ſanguis ipſius dicitur panis & vinum, quia vt ita dicam, ſacramentale ipſius corpus, non niſi in pane & vino conficitur, quamuis ipſum non ſit nec panis nec vinum, ſed vera caro, & verus ſanguis Chriſti, ibi vi ſacramenti, & non localiter exiſtens.

Ioan.6. Panis inſuper & vinum Chriſti corpus & ſanguis dicitur myſticè. Ego ait, ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi, vt ſi quis ex illo manducauerit, non moriatur in æternum. Nam quemadmodum Deus duas has res ad hanc vitam temporaneam ſuſtinendam nobis tradidit: ita Chriſtus carnem & ſanguinem ſuum fidelibus elargitus eſt, vt ad æternam vitam peruenirent.

Panis autem & vinum Chriſti corpus & ſanguis appellantur, ſed impropriè, cùm huiuſmodi faciem & figuram nõ habeát verum Chriſti corpus & ſanguis, ſed hoc tamen ſortita ſunt, quia ſub inuolucris illorum verè & realiter continetur corpus & ſanguis, & propterea typicum, & ſymbolicum corpus Chriſti appellatur.

Appellantur inſuper ſpecies illæ, ſub quibus Chriſti corpus & ſanguis abditur, myſticè Chriſti corpus & ſanguis. In illo enim adum-

bra-

bratur, & deliniatur Christi corpus mysticum quod est ecclesia, adumbratur inquam & non continetur, neque confertur. Vnus enim panis multi sumus, qui capiti nostro Christo, & inuicem in vnum corpus cohæremus & coagulamur in vnum.

Accipite ergo omnes, & in remissioné peccatorum comedite, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus. Quid enim offertur nisi Christi corpus, qui homo est, idemq; Deus. Accipite omnes, & in remissionem peccatorum, manet hoc verbum, nec si cœlum transeat, & terra, peribit, nec modo non peribit, sed efficiet semper, quæcunque voluit Deus. Accipite igitur & comedite omnes: Quia lux venit in mundum, quæ illuminat omnem hominem. Luc.22. Luc.21. Ioan.1.

Cum pro multis verò ait, quòd nō omnes, sed fideles, & numerum tantummodo electorum significat: nil demonstrat aliud, nisi impietatem, & nimiam cæcam eorum superbiā, qui tantæ salutis, & vitæ æternæ portum contemnunt. Quemadmodum scriptum est: Cogitant cū animis suis insani, nō esse Deū: adeò deprauatæ & detestādæ sunt naturæ, vt nullus rectè faciat. Vel suorū delictorum molē adeò grauem arbitrantur, & existimant, vt si vel dixerint peccaui, nunquam tamen eos verè, venia desperata, vel contempta, pœniteat. Quorum similes fuêre proditor & latro, qui quidem si verè pœnitentes credidissent, Aduersus Caluinū de peccati caussā. Psal.14. Mat.26. Luc.22.

cùm

cùm alter peccaui, inquit, tradens sanguinem innoxium, alter, si tu es Christus saluum fac teipsum & nos: non modo, fructum vterque tanti sacrificij, quo delerentur ipsorum peccata, cœpisset, sed ille vnà cum reliquis duodecim residere, hic eadem verba, quæ alter: hodie mecum eris in paradiso audire, & mereri summa cum gloria potuisset.

Luc.22.

Cùm autem pro multis dicit, quod non ad omnes, sed ad numerum solum spectat electorum, vt ipse Seruator alio testatur. Ego cognosco oues meas, & vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis: sed tamen inquit, Accipite ex eo omnes: sed vocẽ spernunt vocantis, & contemnunt.

Ioan.10.

Aduersus Caluinũ. de peccati caussa.

In hoc verò verbo pro multis non vocat amplius, nec meminit, sed penitus eos ab se segregat atque secernit, vt Psaltes ait. Nec meminero eorum per labia mea. Et rursus. Alias oues habeo. Sic ergo illæ vocẽ Domini audientes adducendæ & nõ audientes dimittendæ.

O mira erga genus humanum Dei sapientia, quæ voluit doctrinam suam cœlestem sacramentis confirmare, & rursus ipsa sacramenta, doctrina.

Obseruemus quæso quid dicat hoc sacramentum, panis & vinum ex multis granis conficitur, hîc verbũ Christi percipiens nõ est panis communis, & vinum cõmune, sed ipsum Christi corpus & sanguis. Panis & vinum ex multis granis conficitur, dicam clarius vt intel-

intelligatur, ita ecclesia nō ex vno hominũm Acto.2.
genere, sed ex omni natione quæ sub cœlo est,
nullo exclufo sexu, nulla repudiata ætate adu
natur & colligitur.

Hic calix nouum testamentum est in meo Luc.22.
sanguine, non autem eadem ratione, vt quidā
volunt, & insulsè, Christus hoc testamentum Aduersus
suum vocat, quo & corpus & sanguinem suũ, Caluinũ.
hoc enim nomen non naturam sacramẽti exprimit, sed solum illius proprietatem, quemadmodum & alia nomina declarant. Est enim corpus meum, & sanguis. In hoc autem corpore & sanguine meo dicit Dominus, testamentum meum nouum condo.

In corpore enim & sanguine meo & vobis omnia lego & testor, quæ mihi pater meus legauit, & testatus est. Dispono vobis (ait) quẽ- Luc.22.
admodum pater meus legauit & testatus est: & ne fortè aliquando hoc meum fœdus irritum fore existimetis, illud sanguinis mei sigillo & morte corporis mei perpetuo munio. Interueniente enim morte testatoris, testamentum ratum & firmum est, & manet in æternum: neque illud quispiam vel superordinare, vel irritum facere potest. Se ipsum ergo quo nihil est excellentius & præstantius nobis legauit & testatus est. Accipite ex eo omnes & comedite.

Cùm autem Matthæus & Marcus pro mul Mat.26.
tis, quod ad numerum tantummodo refertur Mar.14.
electorum, dicunt, non minus tamen docent,

& declarant offerentis voluntatem, qui omnes quàm cupidiſsimè vellet, & vim oblationis, quæ ſalutem omnibus afferre quàm facilimè poſſet: quam Lucas, qui dixit pro vobis, quod refertur ad omnes, ſed ſilendum ſibi eſſe, quod ille dixit, & dicendum quod ille, ex eo omnes. Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus.

Luc.22.

Dubium. Iam nunc ad alterum accedamus, & videamus cauſam, cur eſt, quòd complures homines tam in Moſen quàm in Chriſtum impingant, dum ſcilicet Moſi & illius ſacramentis plus æquo, Chriſto verò & illius ſacramento minus quàm ſit par attribuunt.

Dilutio. Hanc tandem cauſſam eſſe fatemur. Nam hi regulam de ferenda cenſura nulla ratione obſeruant, quæ tam in veteri fœdere, quàm in nouo præſcripta eſt omnibus, ſcriptum eſt enim, ne alicuius perſonam iudicemus, neque ſecundum faciem feramus iudicium noſtrum.

Rom.13. Luc.7.

Perſonæ verò & faciei nomine externa illa qualitas, & conditio cuiuſlibet vitæ & operis indicatur, qua qui mouentur perſonam hominis accipere, & ſecundum faciem iudicare cenſentur.

Et ſi in iudicandis rebus humanis dum perſonam accipimus, & ſecundum faciem iudicia ferimus, erramus, quanto magis errabimus in ferendis iudicijs de myſterijs di-

uinis, si externæ tantum faciei adhæserimus, non dubium est quin & à veritate aberrabimus. Diuina enim mysteria aliud habent in pectore, quàm polliceantur in fronte. Idcirco de illis nemo rectè poterit ferre iudicium, qui externam solum qualitatem attendit.

Hinc enim nonnulli in Mosen & in ipsius sacramenta impegerunt, quia iustificationem & salutem illis adscribentes secundum faciem iudicarunt. Nam cum persona Mosis admodum magnifica sit, illa decepti, quod Christi proprium est Mosi tribuerunt? Quid enim speciosius, quid magnificentius persona Mosis? In domo Regia educatus, & in filium à Regis filia adoptatus, diuinis & humanis disciplinis eruditus ab omnibus, atque ab ipso etiam Rege in summo pretio habitus.

Hunc etiam Deus Opt. Maximus prodigijs, miraculisque clarissimum, & cunctis suscipiendum venerandumque reddidit, quid dicam amplius? Illius splendore vultum diuino quodam ita irradiauit, vt filij Israelis nō valerent in ipsius faciem intédere ob gloriam vultus eius.

Externo hoc splédore obiecto, ipsum primum Seruatorem appellarunt, cùm tamen in recessu simplex esset homo, & mortalis, veroque Seruatore, quemadmodum & cæteri indigens.

Similem etiam faciem illius sacramenta

præ ſe ferebant, quid enim magnificentius & preclarius ſacrificijs & holocauſtis taurorum, vitulorum, agnorum & hircorum? Quid gratius thure, & thymiamate, & farina oleo conſperſa? Quid circuncisione ſpeciosius? paſchate, manna, ara, altari & templo? tamen à Paulo egena elementa & infirma vocantur. Hinc eruditi theologi dixerunt, antiquæ legis ſacramenta propria virtute gratiam non contuliſſe, quia ſi ſecus faſsi fuerimus, paſsio ſeruatoris minimè neceſſaria fuiſſet. Si ex lege iuſtitia, gratis Chriſtus mortuus eſt. Hinc Iudæorum caſus, quē etiam Apoſtolus admiratur, quid ergo dicemus? cæteras nationes iuſtitiam non perſequentes, iuſtitiam conſecutas eſſe: iuſtitiam, inquam, quæ à fide manat. Iſraelitas autem iuſtitiæ legem perſequentes ad iuſtitiæ legem non perueniſſe. Cur? quoniam non per fidem, ſed per legis opera, impegerunt em in lapidem impactorium.

Gal.4. Gal.2. Rom.9.

Hinc Hebræorum ruinam videmus apertam, quoniam Iudæi iuſtitiam veram per literam legis conſectabantur, arbitrati ex operibus iuſtificari, & non per fidem, non crediderunt in eum qui iuſtificat impium. Ideò ſubdit Apoſtolus: Finis legis Chriſtus eſt ad iuſtitiam omni credenti. Dolendum certè interitum & miſeratione dignum caſum conſpicimus, dum videmus, quàm fuerit populo illi deprauatus affectus, nempe quòd cùm legem veluti lumen Deus illis irradiaſſet, in quo

Rom.10.

Christi fidem prospicerent, vt eum paratiores susciperent, eadem lege ita sese obtenebrarũt, vt veluti in caligine oberrantes ad ipsum pro maxima parte allisi, corruerint.

Nec etiam antiquæ legis sacramenta habebant virtutem conferendi gratiam ex Seruatoris passione, virtus siquidem passionis copulatur nobis per fidem & sacramenta diuersa dumtaxat ratione. Nam continuatio quæ per fidem est, fit per actum animæ.

Ipsa verò continuatio quæ est per sacramenta, fit per vsum exteriorẽ rerum. Non tamen est incõueniens, si illud quod tẽpore subsequitur, antequam sit moueat in animæ actu, quemadmodum finis qui est tempore posterior, mouet agentem prout est apprehensus & desideratus. Tamen illud quod nõ adhuc est in rerum natura, non mouet secundum vsum rerum exteriorem. Et ideò caussa agens semper præcedit illud cuius est agens: Et non potest esse posterior in essendo, quemadmodum est causa finalis. Lib. 12. metaph.

Hinc clarum est à Seruatoris passione, quæ caussa est humanæ iustificationis, deriuari virtutem iustificantem ad nouæ legis sacramenta, non autem ad veteris legis sacramenta: veruntamen per fidem iustificabantur patres antiquæ legis, quemadmodum & nos vt Paulus testatur. Et hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt in Christo Iesu. Heb. 11.

Verùm antiquæ legis sacramẽta erant quæ-

dam illius fidei protestationes. Significabant enim Seruatoris passionem ipsiusq; fœcundos effectus. Et ita clarum est, antiquæ legis sacramenta non habuisse in se virtutem vllam qua operarentur vt gratiam conferrēt, sed solum significabant fidem qua iustificabantur.

Super epistolam ad Rom. capite 2. Imò Chrysostomus addit: Non solum quòd circuncisio de qua fuit quandoq; inter eruditos controuersum, gratiam non conferret, veluti nūc baptismus vt passionis Christi instrumentum, sed ꝙ nulla illic fieret reconciliatio ab originali peccato, ita vt circūcisi pueri aliquam inde gratiā retulissent: nam tunc inquit,

Rom. 3. quomodo esset par ratio apud Deum, iudæi et græci absq; vllo discrimine, vt Paulus ait, an iudæorum Deus tantum? nónne & gentium? quinimò plus gratiæ possiderent masculi iu-

1. Cor. 7. dæorum q̃ fœmellæ. Tamen oppositum asserit Paulus, circuncisio nihil est neq; præputiū sed obseruatio mandatorum Dei. Errant etiā qui in Christum & in illius sacramenta impingunt, dum minus q̃ par est illis adscribūt. Iudicant em̄ isti secundum faciē & non secundū veritatē. Nam cum Christi & ipsius sacramentorum facies nullam speciem habeat, neq; decorem, sed deformis sit potius & abiecta: hac infirmitatis specie decepti, ipsum Dei filium ludibrio habent, ipsiusq; sacramēta contemnunt.

Quid enim vilius & obscurius quàm nasci in stabulo, nutriri in domo fabri? nullis huma-

manis diſciplinis erudiri, verſari inter homines, velut vnum de humili & abiecta plebe? nõ habere vbi caput reclinet? ab omnibus deſpici, à ſapiẽtibus irrideri, illudi, blaſphemo ore lacerari, conſpui, cædi, ſummo deniq; omnium conſenſu atque applauſu cruci, qua morte nil turpius, adiudicari, vnde & vates acclamauit. Informis, indecorus, nullam vt in eo formam cerneremus, quo eum appeteremus. Contemptus & minus quàm homo: homo dolorum ægritudiniſque gnarus, quaſique aſpectu auerſandus, adeò contemptus, vt eum ſanè eſſe non arbitraremur. Ideò Apoſtolus ait: Nos verò Chriſtum prædicamus crucifixum, iudæis offenſionem, Græcis ſtultitiam. Iſa. 53. 1. Cor. 1.

Similem etiam faciem habent illius ſacramenta, quid enim contemptius aqua tingi? bùccella panis veſci? & ideò hac vili facie nõnulli offenſi illa contemnunt, vtpotè quæ infirma egenaque elementa ſint, & ſigna ſimplicia, neque adduci vlla ratione poſſunt, vt credant Dei virtutem illis contineri, quæ omnibus credentibus ſalutem præſtet. Quemadmodũ enim ſub vili facie & perſona Chriſti vera maieſtas & diuinitas latet, & ſub cruce, & morte illius eſt vita & reſurrectio noſtra: ita in ſacramẽtis illius vita, iuſtificatio & redẽptio nobis impartitur. Nã ſacri baptiſmatis aqua peccatorũ ſordes diluũtur, & in filios Dei regeneramur. Eſt ẽm baptiſma fœdus Dei cũ ho- Aduerſus Caluinũ.

mine, & hominis cum Deo, ideò baptiſma nō eſt ſimplex aqua, ſed aqua & ſpiritus. Quod teſtimonium contra Pelagium euidentiſsimum atque validiſsimum eſt, inquit Euſebius: qui aſſerere arrepta impietate præſumit, nō propter vitam, ſed propter regnum cœlorum baptiſmum paruulis conferendum. Sub his enim verbis, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, apertè intelligendum eſt, omnis animа baptiſmatis munere vacua, non ſolum carere gloria ſed vita.

In ſermone de corpore Chriſti.

Mar. vlt.

Aduerſus Caluinū.

Et de Euchariſtiæ ſacramento dicendum quod non eſt panis tantum, non vinum tantum, ſed corpus & ſanguis Chriſti. Nam auditus nihil audit, nihil aliud à Chriſto percipit, quàm hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus.

Mat. 26.

Nulla hic de pane aut vino, nulla de figura, nulla de tropo, nulla de ſymbolo corporis abſentis nota aut ſyllaba auditur.

Aduerſus Caluinū.

Quòd ſi Euchariſtiæ ſacramentum purus panis, aut ſimplex vinū eſſet, fides in quo exerceretur, nihil haberet, nec illud præterea ritè ſacramentum appellaretur. Nam ſacramenti proprium eſt illud, vt fidem noſtram exerceat, tum vel potiſsimum huius, quo non taurorum adipum, vitulorum, agnorū carnem accipimus aut ſanguinem, quæ nō poſſunt accedentem perfectum facere, neque purgare peccata, ſed accipimus verum Chriſti corpus, verumq; ſanguinem cum deitate coniunctum

Heb. 3.

hoc

hoc est enim corpus meum, non figura, non symbolum corporis absentis, non corpus meritorum, sed meum: hoc enim abundè liquet. Aduersus Martyrē & Caluinum.

Iam ad aliud accedamus, vt symbolum secernamus à veritate, & vmbram ab ipsa rerum expressa forma atque imagine. Et si vetus de veteri phase præceptum tanti semper fuit in Israele, vt omnibus diebus, quibus id ipsum celebraretur, nullum neque priuatæ neque publicæ lætitiæ genus inter eos omitteretur: Exultãte populo, exultãtibus omnibus, quanta nunc lætitia nobis omnibus exultandum semper est & gloriandũ? & quantæ Deo Opt. Max. gratiæ semper agendæ, quibus non per figuram, aut nuncium, aut vmbram, sed certissimum ac verissimum illud quod fatetur Apostolus ipse Dei filius, Deus & homo, Dei & hominum sequester loqueretur, postremis hisce temporibus alloquutus est nos per filiũ, dicens. Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Iam non in prouerbijs loquor vobis, sed palam. Iam vmbræ imagini locum dedêre, iam reuelata facie gloriam Domini speculamur, certissimum ac verissimũ illud, quod tam solemnes, & festi dies illi annunciabant, tam mirabiliter elargitur, atque confertur pascha? Nunc quemadmodum cœlesti afflatus numine vates prædixerat, dabit Dominus voci suæ vocem virtutis. Dat vi sua in tanto sacrificio, ac mysterio Christus voci suæ præcipienti: Accipite & manducate, vocem virtutis 1. Tim. 2. Heb. 1.

& omnipotentiæ. Vox vtraque verè ſalutaris, diuina, ſuper cœleſtis. Inuitat enim altera conuiuas ad edendum, Accipite, edite, exhibet, dat, atque porrigit altera.

Luc. 22. Hoc eſt corpus meum, quia non eſt vox exilis, & vana, ſed vox eſt vi virtutis & omnipotentiæ ſuæ, tanta pietate, & miſericordia, tam mirabiliter facientis, nec à noſtro vlla ex parte pendet arbitrio, ſed tota Dei ſit, & virtus, & omnipotentia, vox non modo Domini, ſed vox etiam virtutis Domini.

Tantò quidem gratior mortalibus, quantò ab eo, qui eſt veritas, & via, mirabilius profertur, & amantius. Nam cùm ſibi ſatis eſſe in tanto myſterio, ob ſuam erga nos charitatem, & amorem non videretur declaraſſe, & oſtendiſſe, quam omnipotens, & verax eſſet in tantæ ſalutis & vitæ bono (vi tanta ſui verbi & Mar. 14. tam mirabiliter dicens, hoc eſt corpus meum) faciendo, ni pariter etiam doceret, quàm pius eſſet & miſericors in dando: non modo verba Mat. 26. ipſa proferre voluit virtutis, & omnipotentiæ: Hoc eſt corpus meum: ſed etiam miſericordiæ ſubiungens, pro vobis exhibetur in remiſsionem peccatorum.

Vox verè virtutis, vox omnipotens, & veritatis, loquitur enim, qui eſt, qui ſcientiam habet vocis, qui eſt veritas, cui omnia pater tradidit, loquitur CHRISTVS, nec dicit hîc, quaſi locum deſignans, ſed hoc, ſubſtantiam non amplius panis, ſed ſui ipſius corporis

ris verè demonſtrans, nec dicit, apparet, aut ſignificat, ſed eſt corpus meum.

Nihil enim vltra quùm dicat Chriſtus, hoc eſt corpus meum, & pro vobis in remiſsionē peccatorum: requirendum eſt, Dei enim ſunt teſtimonia, ac talia quidem, & tanta, tamque certa, & mirabilia, vt totus in Deum conuerſus, & admirans propheta dicat. Mira ſunt oracula tua, ideò ea mente teneo. Sentit enim vates diuino numine afflatus corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti ſacrificium totum eſſe myſterium fidei & ſupernæ vtrunq; pietatis (ob ſuā erga nos charitatem) & miſericordiæ teſtimonium atteſtantis, hoc eſt corpus meum, hic eſt calix mei ſanguinis, mira exclamat oracula tua Domine, nec ſolū mira exclamat, ſed ea mente teneo, non quia ſolùm mira ſint ea mente teneo, ſed quia tua ope fiant, cùm creduntur ſcrutabilia. Beati enim ſcriptum eſt, qui ſcrutantur teſtimonia tua, toto corde exquirunt ea. Quod nobis concedat Deus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum Amen.

Pſal. 118.

Pſal. 118.

EPI.

EPICEDIA EX DIVERSIS CIRCA VERITATEM, ET REALEM PRAESENTIAM CORporis & sanguinis Christi in sanctissima Synaxi.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

Thre. 20.



Effundatæ inquit Vates, sunt eius portæ: perdidit perfregitque eius claustra: eius & Rex & Principes sunt apud gentē exlegem, nec Vatibus quidem oraculum à Iohoua nanciscentibus parcitur. Luctuosa vox Vatis est, sui temporis miserias & calamitates lugens. Typum & symbolum gerens piorum & sanctorum virorum ætatis nostræ: in qua populi diripiuntur, ciuitates deuastantur, depopulantur Regna, occiduntur Sacerdotes, proyciūtur Altaria, prophanantur Ecclesiæ, cōburuntur Monasteria, spoliantur Xenodochia, Magisteriū Christi negligitur, dies iudicij non prauidetur, inflat discordia, furit superbia, concutit ira, sæuitia furit, ad schismata et hæreses prosilitur, dum summo Sacerdoti non obtemperatur; & quod magis dolendum & ex corde gemiscendum est, quòd Reges ipsi sub libertatis Euangelicæ nota eijciuntur, priuanturq́; proprijs Regnis & ficto & ementito Euangelij nomine spoliantur. Poterat dubio procul Vates Hieremias illud idem quod Solymæ excidendæ vatici-

vaticinatus fuerat, nostræ etiam Ecclesiæ prædicere: in qua sectarij omnia inuoluunt & inuertunt. Et quemadmodũ magnus ille Scipio spectans Carthaginis incẽdium, similem ruinam suæ patriæ imminere vaticinatus est, ita & Vates diuinus ex Solymæ ruina, ex Synagogæ deuastatione, casum nostrorum etiam temporum prædicere potuisset. Ita & appositè de nobis quoq; tulisset vaticinium, vt ille inquit.

Illa dies veniet, cum fato Troia peribit.

Tamen errant omnes qui Ecclesiam Romanã Catholicam & Apostolicam defuturam existimant, cui se adesse promisit Seruator vsq; ad finẽ. Sed prô Mat. 18.
dolor iam aduenit dies illa in qua cæco limphante Luc. 22.
& raptante furore, quisque suo modo, suo ingenio nouas non translationes, sed deprauationes, nouos non catechismos, verùm exorcismos, non fidem, sed fraudem, non sacramenta, sed elementa, non Euangelium sed incendium aduersus scripturam sacrã, aduersus omnes Patres, orthodoxumq; totius vniuersalis Ecclesiæ pium consensum metiatur. Ita vt bellũ hoc quo nihil sæuius, etiam iam multis singultis & lachrymis, magis ac magis deplorandum sit. Nec sine maxima ratione, est enim aduersus basim & fundamentum religionis nostræ, aduersus ipsa Seruatoris sacramenta. Hinc motus breuem quandam collectionem in materia de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento collegi: quæ quantum ad principium attinet, omnibus Sacramentis vtilis & necessaria erit. Postremò tandem complectitur loco figuras insigniores ipsius sanctissimi Sacramenti

corpo-

corporis & sanguinis Domini, & patrum antiquorum authoritates præclariores, quibus reijci poteſt Beringarij & ſectariorum omnium doctrina de tropis, de ſymbolis, & figuratis ſermonibus. Vtilis admodum, ſed breuis & compendiaria.

CAPVT I.

Quantum enim ad vocis ethymologiam ipſam ſpectat, aliqua præludia ponenda ſunt: & primò ſacramẽtum importare videtur ſanctitatem actiuè, vt ſacramentum dicatur illud quo aliquid ſacratur. Quæ res vt facilius poſſit intelligi, exemplo declarabo. Eſt enim per exempla docendi iter valde efficax. Exemplum tale eſt, quemadmodum ornamentum dicitur illud quo aliquid ornatur.

Exempla magnam vim habẽt in doctrinis & diſciplinis.

Eſt tamen animaduerſione dignum, actiuorum actiones oportere eſſe proportionatas conditionibus paſſiuorum. Hinc in ſanctificatione qua ſanctificatur homo, ſanctificationis modus is eſſe debet, qui competat homini, prout eſt rationis particeps, ideò enim homo eſt.

Libr.1. Poſt.& lib.3. de anima.

Hinc neceſſarium fuit quoniam homo eſt rationis particeps, vt ipſius cognitio à ſenſitiua principium ducat atque inde originetur. Ideò neceſſe eſt hominem ea ratione ſanctificari, vt ipſius ſanctificatio innoteſcat per rerum ſenſibilium ſymbola, quæ nos ducant ad veritatis cognitionem.

Sectãtibus hanc doctrinam operæpretium est, vt notam hanc, sacramentum multis modis accipiant. Nam quandoque sacramentum significat rem, qua seu per quam fit cõsecratio seu sanctificatio: & ita ipsam Seruatoris nostri Christi paßionem sacramentum vocabimus: dicemusq; cum Augustino, sacramẽtum est sacræ rei signum. Dicitur etiam sacramentum secretum sacrum, quemadmodum diuinitatis sacramentum.

Libr. 1. de doctrina christiana.

Aliquando verò sacramentum consecrationis modum includit, qui homini conuenit, inquantum homini innotescunt causæ sanctificantes ipsum. Hac ratione nouæ legis sacramenta, tantum sacramenta dicuntur: & ratio ea est. Nam consecrant, & sanctitatem significant, & sunt coefficientia: imò primas sanctificationis caussas significant. Quemadmodum baptismus Christi mortis typus est, & sanctificat, & puritatem designat, Tharsense Apostolo authore. Sumus ergo vnà cum eo per baptismũ ad mortem sepulti, vt quemadmodũ Christus ex mortuis in paterna gloria resurrexit, sic & nos in vitæ nouitate gradiamur.

Rom. 6.

Quandoq; etiam sacramentum solum includit significationem dictarum cõsecrationum: quemadmodum signũ sanitatis dicitur sanum. Hac ratione antiquæ legis sacramenta, sacramenta nuncupantur, significant enim illa, quę à Christo gesta sunt, quemadmodum

etiam & Euangelica Sacramenta. Et hæc de voce ipsa dicta sint.

II. CAPVT.

Habet etiam plures descriptiones, seu definitiones, vt alibi dictum est. Est enim sacræ rei signum. Est etiam inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt & imaginem gerat, & causa existat.

Est etiam Sacramentum illud, in quo sub tegmento rerum visibilium, virtus diuina secretius operatur. Vel vt omnia complectamur, Sacramentum est corporale vel materiale elementum extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, ex sanctificatione gratiam inuisibilem continens: Opus inquam ordinatum ad salutem hominis viatoris.

Quantum autem ad secundum quod considerandum est, attinet, dicimus, quod Sacramentorum author Christus est, qui & Deus & homo est. Hinc asserimus, nullam purã creaturam potuisse, neque posse sacramenta instituere, sed hoc mediatoris Christi solum fuisse officium, qui & Deus erat & homo, vna persona. (1. Tim. 2.)

Aliud autem quod considerandum duximus, hoc est discrimen sacramentorum antiquæ & nouæ legis assignare. Et discrimen hoc est: Quia antiquæ legis sacramenta erant signa quæ promittebant tantum, vt Paulus inquit: (Heb. 10.)

Lex

Lex vmbram futurorum bonorum obtinens, non ipſam rerum formam expreſſam: Nunquam poteſt accedentes ſanctificare. Noſtra verò ſacramenta coefficiunt illud quod ſignificant, ideò non ſunt vacua, egena & infirma: ſed plena & redundantia propter gratiam diuinam, quam conferunt ſacramenta his qui illa recipiunt, niſi adſit impedimentum.

Aliud autem adhuc conſiderandum remanet, quod hoc eſt. Sacraméta nouæ legis duabus rebus potiſsimum conſtant, rebus ſcilicet, & verbis. Res ſunt ad inſtar materiæ, verba verò inſtar formæ. Nam quemadmodum forma eſt quæ dat eſſe rei, ita accedente verbo ad elementum fit ſacramentum. Et quemadmodum ex materia & forma fit tertium, quod nó eſt neque materia neque forma, ita ex rebus & verbis fit tertium, quod nó eſt res tantum, nec verba ſolum, verùm res & verba, & hoc ſacramentum appellamus. Quamuis autem ea res minimè dubia ſit, atque ob id teſtibus non egeat: tamen exemplis ipſam declarare vtiliſsimum erit. Chriſtus enim, non eſt Deus tantũ, neque homo ſolum, verùm eſt Deus mortali carne indutus, idemq; ſimul vna pſona Deus & homo. Ita homo nó eſt corpus tantum, nec anima ſolum, ſed vtrunque ſimul & corpus & anima conſtituunt hominem. Ita & de ſacramentis dicimus. Ideò Irenæus de Euchariſtia loquens, ait ipſam conſtare ex duplici ſubſtantia, ex terrena vna, & cœleſti altera. Ter-

Cócinna ſimilitudo.

Lib. 4. cap. 33.

rena res in Eucharistiæ Sacramento est panis
Mat.26. & vinum. Cœlestis est: HOC EST CORPVS
Mar.14. MEVM, ET HIC EET SANGVIS MEVS.
Luc.22.

CAPVT III.

Quantum autem ad ipsas figuras attinet, etsi à diuersis oblationum generibus in lege naturæ præfiguratum fuerit hoc Eucharistiæ sacramentum, nulla tamen figura expresśiùs ipsum præfigurauit, quàm donum oblatum Abrahamo, ab ipso sacerdote Melchisedecho. Hoc enim verũ apparet ex plurimis, primũ ab ipsa ipsius doni conditione, secundò ab ipsa ipsius Melchisedechi persona. Illa enim quæ Abrahamo Melchisedechus obtulit, panis & vinum fuerunt, & illa quæ sub panis & vini inuolucris latent, verum corpus, & verus sanguis Christi sunt. Ita Cyprianus orthodoxè insinuauit. Significata olim à tempore Abrahami & Melchisedechi prodeunt sacramenta, & filijs Abrahami facientibus opera eius summus sacerdos panem profert & vinum.

Gen.14.

In ser. de cœna domini.

De quo Melchisedecho Solymæ Rege origo & genealogia dicitur ignota. Qui Melchisedechus inquit Apostolus: Primum quidem interpretatur Rex iustitiæ, deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neq; initium dierum, neque finem vitæ habens, aśsimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.

Heb.7.

Nec

Nec silentio prætereũdum est, quod dum à præputio, id est à gentili circuncisio futura benedicitur, ecclesiæ gloria prædicatur:& synagogæ infideli plebs agẽtibus exquisita pręponitur. Si enim Melchisedechus iustitiæ Rex dicitur, & Rex pacis interpretatur. Lõgè antè hac de Christo Spiritus sanctus idem prędixerat. Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Ideò angeli Seruatori nato concinũt: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, ergà homines beneuolentia. Ideò Paulus concludit: Quoniam per eũ visum est patri omnem vniuersitatem inhabitare, & per eum omnia sibi reconciliare, pacificando per eius crucis sanguinem, hoc est per eum, cùm terrestria, tum etiam cœlestia. Psal.20. Luc.1. Colos.1.

Si Melchisedechus est sine patre & matre, et sacerdos noster Christus in terris nõ habet patrẽ, & in cœlis est sine matre. Etsi ille est sine maioribus, neq; æui principiũ, neq; finem vitę habẽs, & huius generationem quis eloquetur? Egressus enim ipsius à diebus æternitatis. Isa.53. Micheæ 5.

Hinc beatus Moses de eo mysterio loquẽs, vinum & sanguinem sub vna appellatione significat, benedictionem Patriarchæ, Dominicam passionem multò ante demonstrare ità inquiens: Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Gen.49.

Animaduertite quã diligenter constet vini creaturã Christi sanguine nuncupandã. Quid adhuc amplius de hac duplici specię cogno-

Ioan.6. scendum inquirere debeas ipso Seruatore attestante qùm ait: Nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: nihil profectò remanet quod amplius quærere debeamus.

Exo.12. Symbolum etiam huius sacramenti fuit agni paschalis figura, quem non iam sacerdotes soli ad altare mactabant, sed vnusquisque sese pro sacerdote gerens, istius sanguine ad angeli exterminatoris, iram euitandam proprias postes liniebat: & transitum ab Aegypto ad terram fluentem lac & mel fœliciter peragendum, pascha hoc exemplar huius sacramenti fuisse nostra institutio declarat.

Exo.16. Hoc etiam sacramentum in manna præfigurabatur dicente scriptura: Sexta die duplum colligas, sabbato autem non colligas, dum à primo, id est à die dominico in lege tribuitur, & in solo sabbato denegatur. Iam tunc Christus ab ecclesia, cui dominicum diem resurrectio consecrauit, recipiendus ostenditur. Et synagogę ad quam dies sabbati pertinebat, negandus esse perhibetur: dum dies iste, id est, dies septimus cœlesti panis dono mutilatur. De quo pane vetus historia narrat: Nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus, eò quod Eucharistiæ sacra perceptio, non in quantitate, sed in virtute consistit. Quod corpus sacerdote dispensante tantum est in exiguo, quãtum constat esse in toto. Quod cùm ecclesia fidelium su-

ſumit ſicut plenum in vniuerſis, ita integrum probatur eſſe in ſingulis. Ideò Doctor Angelicus totius orbis iubar & lumen inquit. Fracto demum ſacramento non vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur. In Rithimo in Feſto corporis Chriſti.

Typus etiam huius ſacramenti fuit panis ille ſubcineritius Heliæ, quem angelus ad caput ipſius appoſuit inquiens: Surge & comede, grandis enim tibi reſtat via. 3.Reg.19.

Nec deſunt etiam ipſa Prophetarum oracula, quæ immenſa ſunt, quibus huiuſce ſacramenti veritatem teſtentur. Ait enim Pſaltes: Et erit ipſe, ſubaudi ſcilicet Meſsias, buccella panis in ſummis montium. Et alibi ſcriptura inquit: Declinaui ad eum ſcilicet populum, vt veſceretur. Pſal.72. Oſeæ 11.

Nec deſunt teſtes in nouo Teſtamento, qui eandem veritatem quam figuræ iam dictæ, & aliæ innumeræ, quas conſulto breuitatis cauſſa prætereo, præfigurabant, relictis ſymbolis & typis claram inſinuent & manifeſtent.

Principium hinc conſtituentes, ait enim Seruator: Operamini cibum qui non perijt, ſed qui permanet in vitam æternam: quem filius hominis dabit vobis. Et ibidem: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Lapſus Caluini et Martyris. Ioan.6.

Matthæus autem, Marcus & Lucas Euangeliſtę, vniformiter ipſius Seruatoris verba recinentes, faſsi ſunt de hoc ſacramento fideliſſimum teſtimonium: Inquiunt enim: Cœnan

tibus autem eis, accepit IESVS panem & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis dicens. Accipite & comedite: HOC EST CORPVS MEVM. Et postquam cœnauit, accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes. HIC EST SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI, QVI PRO VOBIS ET PRO MVLTIS EFFVNDETVR IN REMISSIONEM PECCATORVM. Hæc quotiescunq; feceritis, in mei cõmemorationem facietis. Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Hoc tam mirabile Sacramentum in initio Ecclesię Christi nascẽtis colebatur & frequentabatur. Erant enim perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Acto. 2.

Apostolus hoc mysterium sibi à Christo reuelatum esse affirmat, vt qui ab ipsius Apostoli doctrina prędicationibus erant instruendi, hanc de Eucharistia doctrinam tanquam à Deo delapsam, & non solũ ab homine prædicatã imbiberent, inquit enim: Nam queadmodũ ego à Dño accepi, ita & vobis tradidi, Dominus IESVS in qua nocte tradebatur, accipiẽs panẽ, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: HOC EST CORPVS MEVM, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationẽ. Similiter & calicem postq̃ cœnauit, dicens: HIC CALIX NOVVM TESTAMENTVM EST IN MEO SANGVINE, hoc facite, quotiescunque bibetis ad mei memo-

moriam. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Tandem hortatur omnes, vt dignè accipiant & manducent, ne iudicium sibi manducent & bibant 1. Cor. 11.

Petrus Martyr Italus & Caluinus omnia inuertunt ad Symbolum corporis nondum præsentis, & ad communicationem meritorum Christi, aduersus sentẽtiam omnium orthodoxorum.

Fuit hic error Beringarij clerici Diaconi Ecclesiæ sancti Mauritij Andegauensis, cuius rei gratia Leo nonus tunc summus Ecclesiæ Pontifex, vir omnium historicorum testimonio vitæ sanctitate clarus atque conspicuus. Hic cõcilium Vercellis congregauit, quo Beringarium ascitum, minimeq; (vt Lanfrancus ait) venire volentem, cum suis complicibus, nisi citissimè resipiscerent, perpetuo dam nauit anathemate.

Huius rei gratia Victor secundus qui Leoni nono succeßit, cõcilium Turonis per Hidelbrandum Ecclesiæ Romanæ tunc Cardinalẽ, & summi Pontificis vicem agentem in dicto concilio celebrauit. Nec tamen Beringarius emendatus est, sed simulata emendatione vt canis ad vomitum reuersus est.

Fuit tamen Romæ in concilio centũ & tredecim Episcoporũ à Nicolao secundo ad Palinodiam recantandam Beringarius citatus,

qui vel timore pœnæ, vel veritate conuictus reuocauit errorem suum.

Hunc eundem errorem Almaricus quidã spacio centum & amplius annorum euoluto defendit, qui eodem anathematis gladio feriendus venit, quemadmodum & alij: vt patet in Ioanne Vuiclepho, qui dicebát Christi corpus per illa verba: HOC EST CORPVS MEVM: non esse in sacramento Eucharistiæ in propria præsentia idemticè & realiter. Fuit hic hæreticus à Synodo Constantiensi damnatus, vt patet in actis dictæ Synodi.

Lapsus Petri martyris & Caluini.

Martyr tamen & Caluinus, vt lector accuratus videre poterit omnia inuertunt, & alibi ducunt: quàm ad veritatem.

IIII. CAPVT.

Hoc tantum superest, vt demonstremus hanc fuisse mentem, sententiam, & doctrinam omnium orthodoxorum patrum ab initio christianæ ecclesiæ nascentis vsque ad tempora Beringarij, Christi verũ corpus, & Christi verum sanguinem realiter substantialiterque esse in sanctissimo Eucharistiæ sacramento. Ignatius martyr, & Apostolis coetaneus affirmat veram corporis Christi præsentiam in Eucharistia in pluribus locis. In episto. ad Smirnenses, & in epist. ad Rom.

Irenæus qui sub ipsis Apostolorum temporibus vixit, & Polycarpi Ioannis Euangelistæ discipuli auditor fuit idẽ fatetur. Quando

do & calix mixtus, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur, & conſiſtit noſtræ carnis ſubſtantia. Quomodo negant carnem capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna: quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & membrum eius fit, quemadmodum Apoſtolus ait: Cuius Chriſti corporis nos membra ſumus, ex eius carne & oſsibus. Eph.5. Lib.5.aduerſus hæreſes, & lib.4. cap.34.

Tertulianus etiam fatetur corpore & ſanguine Chriſti carnem noſtram nutriri, vt etiã anima Deo ſaginetur. Et alibi inquit: Vinum in ſanguinem proprium figurauerat. In lib. de carnis reſurrectio. & aduerſus Marcionem.

Origenes hoc idem fatetur, & pro hac veritate in locis quamplurimis ſolidiſsimas rationes proponit. Lib.8. contra Celſum, & homil. 6.

Cyprianus martyr non vno dumtaxat loco, verum in quàm plurimis hoc idem affirmat. Lib.1, epiſt.2. In lib. de lapſis. De oratione Domini, ſerm.6. in tract. de cœna Domini.

Athanaſius benè meritus Chriſti IESV ſcriptor hoc idem in quàm plurimis locis aſſerit: & ponit pro hac materia quædam digniſsima in declaratione illius loci: Quicunq; dixerit verbum aduerſus filium hominis. De varijs quæſt. ad Antiochenum quæſt.2. Idem in diſputatione aduerſus Arrium die 2.

Hoc etiam & Hilarius aperit ſuper illud:

Ioan.8. Ego & Pater vnum ſumus. Lib. 8. de Trinit.

Hoc etiam idem magnus ille Baſilius affirmat ſcribens ad Cæſaream Patriciam, & in illius Liturgia, necnon in regulis breuioribus, interrogatione 192.

Idem & Gregorius Nazianzenus faſſus eſt in pleriſq; locis. In homil. Paſchatis, & in oratione aduerſus Iulianum Apoſtatam.

Hoc etiam dicit Gregorius Niſſenus magni Baſilij frater, in tract. de vita Moiſis.

Retulimus in noſtris theſauris nonnulla, quæ ex multis Euſebius Emiſſenus habet in oratione de corpore & ſanguine Domini.

Fauet etiam huic veritati quã defendimus illud quod Heſychius habet, idq; in pleriſq; locis. In Leuitico lib. 2. cap. 8. & lib. 6. cap. 22.

Hanc eandem veritatem tuetur Epiphanius in lib. Ancoratus.

Chryſoſtomus etiam huic rei ſubſcribit in homilijs 2. 8. & 11. ad populum Antiochenũ. In expoſitione Ioan. homil. 45. In priori epiſtol. ad Cor. cap. 10. homil. 24. & cap. 11. homil. 27. & 2. ad Tim. 1. homil. 2. Idem in Mat. cap. 26. homil. 83. & in Actis cap. 9. homil. 21. Idem in ſermo. de Euchariſtia, & in oratione de beato Philagonio. Idem de Sacerdotio lib. 3. & 6. & ad Neophitos, & in tract. de incomprehenſibili Dei natura.

Ambroſius hoc etiam affirmat lib. 2. offic. cap. 28. In lib. de virginibus, & in tract. de viduis, de his qui initiantur cap. 9. lib. 1. de ſacramen-

mentis cap. 4. & lib. 4. cap. 4. Et in precationibus missam præparantibus. Et in expositione Psal. 38. Et in epist. ad Hebræos cap. 5. & 10. & de obitu Valentiani Imperatoris.

Cyrillus idem testatur in Ioannem lib. 4. cap. 14. & 17. & lib. 10. cap. 13. & lib. 11. cap. 26. & 27. & lib. 12. cap. 32. Idem ad Theodosium de recta fide, & ad Reginas. Et super canonem Synodi Ephesini, & ad Calosyrium.

Hieronymus etiam huic veritati astipulatur, ad Damasum. De filio prodigo. Et ad Hobidiam quæst. 2. & in Osea cap. 11. & in Psalmis 54. 105. 109. 145. & in Mat. cap. 26. & in epist. ad Ephesios lib. 1. cap. 1.

Augustinus eandem defendit veritatem lib. 9. cap. 13. Ad Paulinum epist. 99. Ad Casulanum epist. 96. & in episto. 85. Ad Ianuarium epist. 118. Ad Honoratum Episcopum epist. 120. & aduersus Donatistas epist. 162. & in enchiridio cap. 1. & 10. Idem in libr. de cura pro mortuis agenda cap. 18. In sermone Domini in monte lib. 2. & aduersus Faustum Manichæum libr. 20. capitibus 13. 18. 21. Idem in Psalmis 33. & 39. Idem in Ioan. tractatibus 27. 28. & 95. Idem de verbis Domini serm. 11. & 32. & 35. Idem homil. 26.

Hanc eandem sententiam confirmat Leo beatissimus huius nominis primus, sermone 6. de ieiunio septimi mensis. & serm. 20. de resurrectione Domini.

Idem

Idem affeuerat Anfelmus in expofitione prioris ad Cor. cap. 11.

Idem dicit Haymo ante feptingentos annos natus, fuper illud Apoftoli: Quoniã vnus panis & vnum corpus multi fumus, inquit: Caro quam verbum Dei Patris affumpfit in vtero virginali in vnitate fuæ perfonæ, & panis qui confecratur in Ecclefia vnum corpus Chrifti funt. Sicut enim illa caro corpus Chrifti eft, ita ifte panis tranfit in corpus Chrifti: nec funt duo corpora, fed vnum corpus. Diuinitatis etenim plenitudo, quæ fuit in illo, replet & iftum panem, & ipfa diuinitas verbi, quæ implet cœlum & terram, & omnia quæ in eis funt, ipfa replet corpꝰ Chrifti, quod à multis facerdotibus per vniuerfum orbem fanctificatur, & facit vnum corpus Chrifti effe: & ficut ille panis & fanguis in corpus Chrifti tranfeunt, ita omnes qui in Ecclefia dignè comedunt illud, vnum corpus Chrifti funt, ficut
Ioan. 6. ipfe dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit meum fanguinem, in me manet, & ego in eo.

Idem tuetur Damafcenus libr. 4. cap. 14. & in hiftoria duorum militum.

Pfal. 109. Cafsiodorus in expofitione verficuli: Tu es facerdos in æternum fecundum ordinem Melchifedechi, hoc idem affeuerat.

Theophilactus idem afferit in Mat. cap. 26. Idē in Marc. cap. 14. Idem in Ioan. cap. 6. Idem in expofitione prioris ad Cor. cap. 11.

Arno-

Arnobius ſic ait: Confeſſio Trinitatis, & magnificentia Deitatis, opus eius: iuſtitia eius immutabilis perſeuerat in ſecula ſeculorum, in qua iuſtitia memoriam fecit mirabilium ſuorum, dicens: Hæc quotienſcunq; feceritis, in mei memoriam facietis. Quando hoc dixit miſerator & miſericors Dominus. Tunc ſine dubio quando eſcã dedit corporis ſui timentibus ſe. Et hoc Teſtamẽtum memor erit Dominus in æternum, per quod virtutem operũ ſuorum annunciat populo ſuo. Pſal. 110.

Idem tuetur Euthimius in Mat. cap. *26.* & in Ioan. cap. *6.*

Idem Pontianus Papa & Martyr aſſerit: Inquit enim: De Sacerdotibus autem Domini, quos nos audiuimus contra prauorum hominum inſidias adiuuare, eorumq; cauſſas portare, ſcitote vos in eo valde Deo placere, qui ſibi eos ad ſeruiendum aſciuit, & familiares in tantum ſibi eſſe voluit, vt etiam aliorum hoſtias per eos acceptaret, atque eorum peccata donaret, ſibiq; reconciliaret. Ipſi quoq; proprio ore corpus Domini conficiunt, & populis tradunt. In epiſt. *1.* ad Felicem Sucribonum.

Hoc etiam carmine hexametro Iuuencus Hieronymo antiquior confirmat dicens.

Hæc vbi dicta dedit, palmis ſibi frangere panem:
Diuiſumq; de hinc tradit: ſanctumq; precatus,
Diſcipulos docuit, proprium ſe tradere corpus.
Hinc calicem ſumit Dominus, vinoq; repletum
Sanctificat gratis verbis, potumq; miniſtrat.

Edo-

Edocuitq́ suum se diuisisse cruorem:
Atq; ait: hic sanguis populi peccata remittet.
Hunc potate meum: iam veris credite dictis.

Sed quid perdo verba in re clarissima, quã non mihi si linguæ centum, ora centum, ferrea vox esset verbis complecti & enarrare possem. Et facilius Sybillæ folia pugillo complecti valerem, quam enarrare ea omnia, quæ pijssimi Patres & sanctissimi Doctores de veritate corporis & sanguinis Christi in sanctissima ipsa Synaxi dixerunt. Solum complexus sum eas insignes authoritates, quæ magis ad veritatem pertinere visæ sunt. Quas etiam & breui hoc epitomate proposui, quibus oro fideliter ac firmiter innitaris, limis semper oculis. Nam insurrexerunt nostris his deprauatissimis temporibus decem hæreses detestabiles, aduersus hanc doctrinam orthodoxam de Eucharistia, tot Patrum testimonijs roboratam. Quas quidam miseri infirmi in fide seminant. Quos ob inueteratam ipsorum malitiam (quoniam conuerti nolunt ad veritatem) vltrix ruina confundat & quassat. Opt. Max. cum suis cultoribus perdat.

Hanc eandem veritatem Synodus Ephesina prima ducentorum Episcoporum numero, in qua præsedit summi Pontificis vicem gerens Cyrillus Alexandrinus Episcopus, amplexata est in epistola missa à tota Synodo Nestorio hæretico Constantinopolitano Episcopo.

Hanc

Hanc eandem veritatem Synodus Lateranensis sub Innocentio tertio tuetur atq; defendit. Vna verò est vniuersalis fidelium Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. In qua idem ipse sacerdos est sacrificium IESVS Christus. Cuius corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur.

Hoc etiam Synodus Tridentina nostris temporibus & confessa est, & apertè defendit. Sesione 3. cap. 1. Docet enim sancta Synodus, & apertè & simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum IESVM Christum verum Deum, atque hominem verè realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.

Sciens & compertum habens istius sanctissimæ doctrinæ peruersissimos oppugnatores in foueam interitus cum suis hæresibus miserè casuros. Cæcus enim si cæcum ducat, nemo est qui illos in foueam miserè casuros ambiget. Mat. 12.

Sanctorum autem Patrum doctrinam æmulatores ad cœlestia regna fœliciter peruenturos, qui enim sequuntur lumen vitę, & ipsorum doctrinam, qua ipso lumine sunt illustrati, non ambulant in tenebris, sed offensionis timore longè lateque amoto, ad gaudia æter-

æterna transmigrant. Ipso perpetuò fruituri, in quem sperauerunt, atque firmiter crediderunt, cui vsque ad sanguinis effusionem & animæ non reluctarunt, sed fassi sunt in Eucharistię sacramento sanguinem & carnem veram, & non sub Typo & Symbolo corporis absentis, sed verè & realiter præsentis: Deuotè & cum fide & charitate interiorem hominem recreari: in Christo IESV Domino nostro Amen.



TABV-

TABVLA RERVM MEMORABILIVM IN MATERIA DE EVCHARISTIA.



Hoc

Chri-

con-

In

Cum

FINIS.



Errata sic corrigenda: prior numerus paginam, alter lineam denotat.

IN Epist. dedic. pag. 16. reg. 19. lege cor. pag. 1. reg. 2. lege Circes. pag. 7. 12. caminq. 8. 21. lenocinijs. 17. 16. pro præstigia, præludia. 40:21. altiùs. 43. 17. sessione. 48. 6. frusta. 52. 3, ex cuius. 54. 18. superiùs. 61. 25. sub cuius. 85. 9. non receptum. 92. 21. assis. 133. vlt. ita vt. 173. 22. noua ipsius esse. 200. 13. tactu. 208. 4. Verum 209. 5. sit, ipsi conueniũt, vt. pag. 210. 14. intercus, dele. pag. 227. 3. quodam modo. pag. 235. 15. possibilis. 228. 6. perfectè. 258. 1. posse. 260. 5. hominem. ead. exercuit. 261. 2. obtulit, reconciliati sumus. 277. 23. ipsi. ead. 24. gratiam, applicatur. 284. 2. aptior, 286. 9. posset. 323. In ser. 362. Ioan. 10. in marg.

